




COLAI
OPERA
MUS V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.





Henrici Nicolai

D. O. M. A.

DE

COMPARATIVARUM Enuntiationum expoſitione,

TRACTATIO PECULIARIS: Logico-Philoſophica & Philologica.


Quid ac quotuplicia comparata enuntiata ſint, quomodo in verum ſenſum Logicè dextrèque reducenda, quæ arguendi in eis & ex eis in Logicis poteſtas ſit, quomodo circa illa aberretur quandoq;, breviter repræſentans, & exemplis ab omni materiâ deſumptis illuſtrans,

AUTHORE
HENRICO NICOLAI,
Phil. hactenùs Profeſs.

DANTISCI,
Typis Viduæ GEORGII RHETII
exſcripta.

Anno à partu Virginis Matris,
M. DC. L.

Elenchus exercitationum Tractatus hujus.



LECTORI PHILOSOPHO ac benevolo S.



Reviore hac tractatione, LECTOR BENEVOLE, *Comparativarum Enuntiationum* interpretationem cum exemplis nonnullis è Logico promptuario exhibere volui. Moverunt *partim* exempla quædam intricationem in ſenſu habentia, quorum vim non primo intuitu penetrare licet: *Partim* ſophiſtiæ, ſenſui quorundam interdùm obfuſæ, Cum in ſeſe ſatis planus iſte, de quibus tractatio ipſa docebit. Quod ſi quædam nondùm ſatis patere videntur, æquiore judicio interpretari, aut meliori tempori reſervare, æquum fuerit. Et ſi comparati, Pater major me eſt, ſenſus minùs arrideat, *Patrum magnum* partem eſſe ſciendum, qui eò flectunt. Quanquam ſi alienius hoc videatur, vulgata ſententia, quâ de humanitate capitur, locum ſuum habeat, non prorsùs abdicetur. Referri tamen *Antiquitas* meruit, quæ ex ſeipsâ venerationem ſortiri ſolet. Ac utrumq; aliquid è vero trahere poſſit, etſi alterum contextui propius videri queat, ut diſſenſum aliquem, etiam Patribus in explicando non infrequentem, æquo Marte ferre fas ſit, non in proſcriptis ſtatim numerare,

ſi quis

ſi quis aliorsùm inclinet. Nondùm enim humanitatis ſorte exempti ſumus, cujus vacillare eſt. Sed nec novum proclamari debet, quod Vetuſtisſimis jam dictum: Etſi denuò ex illis eruatur ac proponatur. Vetus ſententia eſſe poteſt, etiam, quæ non promiſcuè obvia, dum è vetuſtate proferatur. In reliquis aut Philologicis exemplis, ſi nonnulla non ad palatum, meliore tempore ac occaſione alia depromi, æquum & commodum fortaſsè eſſe poterit. His interim mecum, LECTOR ERVDITE, fruere, DEOq; in turbulento hoc ſeculo ad omnem proſperum ſucceſſum ex animo commendatus eſto, ac precibus tuis apud Deum nos juvato. 20. Octobr. Anno 1650.

D. O. M. A.

De Expositione Comparativarum enuntiationum,

EXETASIS Peculiaris.

Th. I.

QVod ab usu remotum, in practicis disciplinis vanum ac inutile esse, honesto concentu pleriq; recipiunt, ut Concordia in vero esse solet, ac ubi veritas, ibi consensus affulget, semperq; inter se consentiunt, qui aliquid sciunt, ut Plato dixit, memorante Mureto Or. 17. Praxis enim quia scopus & apex hic, ultra eam vagari, vel infra eam torpere, indoli disciplinæ adversum est. Atq; ut in moralibus verba vertenda in opera sunt, ut d. 1. Eth. t. 1. dictum: Ita in famoso illo Organo, quod ab ratiocinandi actu, quē universum explicat, perficit, & dirigit, Logicæ nomen traxit, ad praxin veritatis totum cogitatum vertendum, adhibendum, ac dirigendum est, si naturæ rei, disciplinæ, & finis explicationi satisfactum velis. Nam ad verum illud intendit, vocat, ducit, ut hujus ratio habenda, occupanda, & universis præcolenda sit. At verum speciosæ mulieris habitu, sed simplice abjectoq; cultu, præsentavit Apelles. Simplex enim veritas, efficax, alliciens, cuncta supereminens. Romani pacis templum medio urbis locârunt: Sed Ægyptii veritatem in columnâ per urbes suas coluêre. Vt pax exoptata: sic veritas divinissima est. Vtcunq; amicus Plato, Socrates, Papa, Lutherus: Magis tamen amica veritas. Quam amico præferre, pro amicitiâ tegere, prodere, amicitiæ dandum non est, sed ὅσιον habendum, ut è gentilibus Aristoteli præclarè monitum 1. Nicom. c. 4. Quare ex Organi istius, Logicæ, materijs Comparativorum explicationem

ad verum jam appendere profuerit, cum varia sophisticâ specie inanium veritatem in illis infuscare, subhastare, tantumq́; non evertere, non uni Sophistæ animũ inducant, ut progressus docebit.

2. *In Interpretationis doctrinâ, quam* parti 2. Logices *inferimus, ut* d. 7. Log. *dictum, postquam de Interpretandi medijs actum, omnibus Enuntiatorum speciebus ea applicare solemus, & specialius de difficiliorum ac intricatiorum justâ in sensum resolutione & interpretatione commentari, qualia* modales, exponibiles, tropicas, parabolicas, ænigmaticas, proverbiales, paradoxicas, figuratas, Rhetoricas, Poeticas, Compositas, similesq́; *enuntiationes habemus, de quibus omnibus ritè interpretandis in* Praxi nostrâ Logicâ *publicis Lectionibus Anno 1636. & sequentibus traditâ* L. 2. C. 5. 6. 7. 8. *fusè traditum, & in* Synopsi Praxios *concisiùs* C. 5. *repetitum fuit. Horsùm &* Comparativas *propositiones referre æquum fuerit, de quarum justo sensu & interpretatione præsens tractatio BONO CUM DEO disquiret. Ac ante nos quædam de sensu earum Logici nonnulli monuerunt, ut* Gutkius in Synopsi Log. C. 5. Et d. 8. Logic. divin. Jac. Martini L. 2. Pædi. Logic. C. 7. Greberus d. 10. d. Enuntiat. t. 12. seq. Danhauverus ide. disput. s. 1. t. 28. Et epit. Dialect. p. 1. C. 4. Keckerman. L. 2. Log. s. 1. C. 8. Et L. 2. Log. Min. C. 5. Scharfius L. 2. Log. C. 7. Dunamus Log. 2. Comm. Log. C. 6. Scheiblerus d. prop. C. 5. n. 59. seq. Vietor in Comparatorum doctrina d. 10. Topic. Ursinus l. 1. Com. Dial. c. 18. 19. alijq́;.

3. An simplices sint tales propositiones, an ad Compositas referendæ, *aut ad utrasq́; indifferenter se habere possint, in Logicis disquiri solet,* & d. 8. Log. t. 26. *memoratum fuit. Ad præsentem scopum non facit, ubi* de sensu tantùm

Com-

Comparativorum, *non enuntiandi formâ, quam habeant, soliciti sumus. Sensus eorum ut plenè Logiceq́; eruatur, Comparativa ipsa distinguenda sunt. Non enim ad eandem rationem omnia se habent.* Nam vel propria vereq́; sic dicta, vel impropria & alienè ita dicta sunt. Propria, *ubi sensus Comparatus propriè se habet, ut utriq́; extremo, de quo dicitur in Enuntiato, verè inesse queat. Vt,* DEUS est *sapientior & nobilior homine,* Aristoteles *est doctior Platone, Pater filio in divinis major est,* Joh. 14. v. 28. Beatius *est dare, quàm accipere, Philosophia theoretica est præstantior practicâ, sed hæc est eligibilior illâ, vinum est præstantius aquâ, aqua est utilior vino, aurum est præstantius ferro, sed ferrum est communius & utilius auro, virtus est melior robore aut divitijs, eruditio est præstantior nobilitate stemmatis, homo est præstantior bruto, opes non sunt meliores doctrinâ, qui continet, melius facit, quàm qui nubit, melior, qui affectus vincit, quàm qui urbes, melior, qui virtutem colit, quàm qui agros, melior misericordia, quàm sacrificium,* Matt. 9. Hæc & similia omnia in sensum suum per tres enuntiationes rediguntur, quæ veritatem eorum repræsentant. *Vt,* DEUS *est sapiens, nobilis, & homo est sapiens & nobilis, sed Deus magis est talis, quàm homo.* Aristot. *est doctus, & Plato est doctus, sed Arist. magis est doctus, quàm Plato.* Pater *est magnus, & filius est magnus, sed Pater magis est magnus, quàm filius.* Dare *& accipere est beatum, sed dare magis beat. q. acc.* Philos. *theoretica est præstans, & practica est præ. Sed theoretica magis est præstans, quàm Practica.* Illa *est eligibilis, & hæc est talis, sed hæc magis talis, quàm illa.* Vinum *est præstans, & aqua est præst. sed illud magis præstans, quàm hæc.* Aurum *est præstans, & ferrum est præ. sed aurum magis est præ. q. ferr.* Ferrum *est commune, & aurum est comm.*

sed ferrum magis comm. qu. aur. Virtus *est bona, & robur ac opes sunt bona, sed virtus magis bona, quàm hæc.* Eruditio *& nobilitas generis est præstans, sed illa magis, quàm hæc.* Homo *& brutũ est præstans, sed ille magis, quàm hoc.* Opes *& doctrina sunt bonæ, sed illæ non magis bonæ, quàm hæc.* Continens *& nubens benè facit, sed ille magis benè, quàm hic.* Affectus *& urbes vincens benè facit, sed ille magis benè agit, quàm hic.* Misericordia *bona, & sacrificium bonum, sed illa magis est bona, quàm hoc. Idem sensus in similibus omnibus obtinet.*

4. *Circa sensum hujus Comparativæ* sequentia *ulterius adverti possint.* I. Non necesse est excedens & excessum semper specie convenire, sed satis est de formâ aut habitudine quadam in universum participare. *Sic DEUS est nobilior, major, potentior, homine, nec specie nec genere DEUS & homo conveniunt, sed attributis tantùm potentiæ, magnitudinis, nobilitatis, sed quæ totis generibus in subjectis illis divertunt. Sic homo dignior est numero, homo & numerus toto genere differunt, ille substantia, hic quantitas est, dignitate aut bonitate generali & entis tantùm inter se participant. Sic substantia potior accidente est, & primò diversa sunt, tanquam species entis analogicæ, quod ens nullius rei genus, species, aut differentia Logica esse potest, adeoq; nec genus ista, nec differentiam habent, sed ultra horum naturam generalitate sui ut contractiores entis modi transcendunt. Prioritate tamen ut generali attributo participant.* II. A Comparativo ad positivum in Comparatione propriâ legitima est illatio, modò adjunctum comparationis omittatur. *Ut, Arist. doctior Platone. E. doctus. Sed non, E. doctus Plato. Socrates prudentior Aristippo. E. prudens. Sed non, E. prudens Aristippus. Italus est subtilior Germano. E. subtilis. Sed non, E. subt. Germanus. Hispanus*

nus truculentior Hunno est. E. truculentus. Sed non, E. truc. Hunnus. Cygnus candidior homine. E. candidus. Sed non, E. cand. homo. Homo est fortior lepore. E. fortis. Sed non, E. fortis lepus. Leo fortior homine. E. fortis. Sed non, fortis homo.

5. III. Cui res comparata prorsùs non inest, ei nec gradus comparationis inesse potest. *Vel, ubi res non est, ibi nec intensior aut validior esse potest. Absente enim re proprietas rei inesse non potest. Vt, DEVS prorsus non est ignobilis. E. nec ignobilior Creaturâ esse potest. Vitia planè non sunt bona. E. nec meliora stupiditate dici possunt. Brutum prorsùs non rationale. E. nec minùs rationale, quàm homo. Terra prorsùs non movetur. E. nec minùs movetur, quàm cœlum aut astra. Religio Photiniana prorsùs non est bona. E. nec melior Turcicâ, Persicâ, Mahometanâ, Tartaricâ, dici potest. Et hic Comparatio instituta ad impropriam accedit, de quâ t. 8. patebit.* IV. Ad propriam Comparationem quinq; requiruntur. Res comparata, *quæ est subjectum.* Res, *cui comparatur, prædicatum.* Tertium *comparationis, in quo comparantur.* Positivum *comparativi, ut id utriq;, subjecto & prædicato, competat.* Tertium *Comparationis, ut id cum excessu de subjecto dici posit. Vt, Petrus est doctior Paulo, Petr. & Paul. subjecta & prædicata, doctius tertium Comparationis, Positivum doctum esse, quod utriq; competit, & tertium, doctus, cum excessu de Petro præ Paulo dicitur.* V. Vox comparativa interdùm una dictio est, ut doctior, interdùm duplex, *ut magis doctus, minus fortis, tàm, quàm, vel non tantum, quantum, eò, quò, &c. Vt, quò quis doctior, eò humanior, quò indoctior, eò impudentior.*

6. VI. Comparativa propositio vel affirmata, vel negata, seu affirmans vel negans est. Affirmans, *ubi tertium comparationis affirmatur.* Negans, *ubi negatur. Vt,*

Doctus melior indocto, elephas non est inferior leone. Affirmans *interdùm per tertiam negantem à quibusdam exponitur, ut Leo est fortior homine, h. e. leo est fortis, & homo est fortis, sed homo non est tàm fortis, quàm leo.* Verùm *expositio ista idem per idem, & obscurum per æq; obscurum explicat. Particula enim tàm idem sensu dicit, ac τὸ magis, ejusdemq; est potestatis. Et sic etiam ipsa expositione indiget. In explicando autem clariora assumenda, non æq; obscura.* Et sensum affirmantem *in negantem commutat, quod etiam cavendum, ubi per voces licet. Perplexio enim hinc oritur intellectui, quæ magis amovenda, quàm inducenda, nisi defectu vocum ita loqui cogamur, qui hic non est, cum affirmativè satis clarè dicas, leo magis est fortis, quàm homo, vel leo fortitudine superat hominem, vel superior est homine:* Et subjectum primæ propositionis *sine causâ transmutat, cum sine mutatione ejus satis clarè dicatur, leo magis est fortis, quàm homo, ut primæ prop. subjectum retineatur, obscuriùs autem immutatè, nullus homo tàm fortis, quàm leo, quod ex illâ, leo est fortior homine, non proximè sequitur, sed per conversionem & affirmati in negatum mutationem demùm, quod etiam in explicando non agendum, nisi sontica causa requirat, quæ hic nulla est.* Negans *in tres alias explicanda, ut affirmans,* t.3. *Vt, Plato non est doctior Socrate, h. e. Plato & Socrates est doctus, sed Plato non est magis doctus, quàm Socrates. Bestia non est magis animal, quàm homo, h. e. bestia & homo est animal, sed bestia non superat animalitate hominem. Brutum non magis sentit, quàm homo, h. e. brutum & homo sentit, sed brutum non superat sensu hominem, Cœlum non est magis Corpus naturale, quàm sublunare, h. e. Cœlum & sublunare est Corp. nat. sed cœlum non superat sublunare in Corpore, Angelus non est magis substantia, quàm Corpus, h. e. angelus & corpus est substantia, sed angelus non superat corpus in substantiâ.*

7. VII. Interdùm ad Comparationis sensum promendum verbum excessum denotans activè vel passivè formandum est. *Vt, homo & leo est fortis, sed homo minùs ac leo, h. e. homo superatur fortitudine à leone. Plato & Socrates est doctus, sed Plato minùs, h.e. Plato superatur doctrinâ à Socrate. Salomon & Crœsus est dives, sed Salomon magis, h. e. Sal. superat divitijs Crœsum.* VIII. Superlativa sub comparativis comprehenduntur, & ad eandem rationem sensus eorum Logicè est resolvendus. *Vt, Salomon est omnium hominum Sapientissimus, h. e. Salom. & homines sunt sapientes, sed Salomon magis, quàm omnes reliqui, vel Sal. superat sapientiâ omnes homines. Crassus Romanorum ditissimus, Cicero eloquentissimus, h.e. Crassus & Romani eloquentes, sed Cicero magis, quàm omnes Romani.* IX. Ubi comparatio vera quidem, sed involutior est, Logicus ad sensum probè attendat, ut justus eruatur, non alienus. *Vt, manuum fortior est dextra, Pedum agilior est dexter, laterum calidius est dextrum, oculorum acutior est sinister, h. e. dextra & sinistra manus est fortis, sed dextra magis, quàm sinistra, pes dexter & sinister agilis, sed dexter magis, quàm sinister, oculus dexter & sinister acutus, sed sinister magis, quàm dexter. Ita ubi* sensus absolutè negativus esse videtur, *ex contextu toto & aliorum locorum collatione in comparatum vertendus est. Vt, misericordiam volo, non sacrificium*, Matt. 9. v. 13. C. 12. v. 7. *H. e. magis miseric. quàm sacrificium*, Prov. 21. v. 3. *Nihil debete, nisi caritatem*, Rom. 13. v. 8. *H. e. Nihil tàm vel magis deb. quàm caritatem.* Esai. 1. v. 12. *Quis requirit sacrificia de manibus vestris, h. e. non tàm sacrificia requiro, quàm pietatem*, v. 16. Jerem. 7. v. 22 *Non præcepi Patrib. Vestris de sacrificijs, h. e. non tàm de sacr. quàm pia vitâ*, v. 23. Psal. 34. v. 10. *Divites*

vites eguerunt & esuerierunt, sed inquirentes Dominum non minuentur omni bono, h. e. Potiùs divites esuriant, quàm inq. dom. minuantur bono. *Sic* Matt. 24. v. 35. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non trans. h. e. Potiùs cœl. & ter. transib. quàm verba mea.* V. Luc. 16. v. 17. *Sic* Marc. 9. v 37. *Qui me recipit, non me, sed eum, qui misit me, recip. h. e. non tàm me, quàm eum, q. m. m. Vel magis patrem, quàm me.* *Sic* Luc. 17. v. 2. Matt. 18. v. 6. *Bonum est, mola suspensa in mare præcipitari, h. e. satius esset illud, quàm infirmos scandalisare. Ex adverso interdùm comparativè enuntiata sunt exponenda absolutè. Vt* Joh. 3. v. 19. *Dilexerunt homines tenebras magis, quàm lucem, h. e. Lucem prorsùs non dilexerunt.* Luc. 18. v. 14. *Descendit publicanus justificatus magis, quàm Pharisæus, h. e. Phar. non descendit justificatus.* *Sic* Matt. 10. v. 28. *Timete magis, qui corpus & animam in gehennam perdere potest, h. e. Hunc solum timete, reliquos autem non timete nec curat[illegible].*

8. Comparata impropria sunt, ubi tertium comparationis alteri vel neutri extremo verè competit. *Vt, DEVS est melior diabolo, fornicatio simplex melior est adulterio, Pontificia religio melior est Photiniana, Phot. melior est Turcicâ, Mahometana religio est melior Ethnicâ, melius est nubere, quàm uri, melius est furari, quàm scortari, nulla scientia naturalis magis nos de divinitate Christi certificat, quàm Magia & Cabala, ut* Picus Mirandulanus *olim in positionibus suis 900. Romæ affixis asseruit, de quo* Tract. d. Opposit. s. 1. t. 54. *dixi.* Circa horum sensum *eruendum sequentia notanda.* 1. Ubi comparatio uni membro competit, non alteri, uni est attribuenda res comparata, ab altero removenda, & per particulam præ expositio fieri potest. *Vt, DEVS est*

eſt melior Diabolo, h.e. Deus eſt melior præ Diabolo, h.e. Diabolus non eſt bonus, Creatura eſt ignobilior DEO, h.e. eſt ignobilis præ Deo, ſed DEVS non eſt ignobilis: Nubere melius eſt quàm uri, h.e. præ uri, uri autem non eſt bonum: Satius eſt uxorem ducere, quàm ſcortari, h.e. præ ſcortari, & ſcortari non bonum eſt. Sic in negativis, ignis non eſt frigidior terrâ, h.e. præ terrâ, h.e. terra frigida eſt, ſed ignis non; Aqua non eſt calidior igne, h.e. præ igne, ignis eſt calidus, ſed aqua non.

9. 2. Ubi comparatio nulli membro competit, comparatio prorſùs æquivoca eſt, & vocem tantùm comparationis habet, non rem. *Talis illa* Pici Mirandulani *eſt, Nulla ſcientia naturalis magis nos de divinitate Chriſti certificat, quàm Magia & Cabala, ubi ſenſus planè non eſt comparativus, ſed ſimpliciter & abſolutè negativus. Nulla ſcient. nat. nos de div. Chr. certif. Nec Magia, nec Cabala id facit. Perindè ac ſi dicas, nullus homo magis eſt aſinus, quàm canis aut leo, h.e. Nec homo eſt aſ. nec canis, nec leo: Nullum opus magis nos juſtificat, quàm caritas, h.e. nec ullum opus, nec caritas nos juſtif. Nulla virtꝰ magis peccatorum remiſſionem meretur, quàm juſtitia, h.e. nec ulla virtus, nec caritas id meretur. Nulla ſcientia magis piſcem artificialem facere docet, qui natet, quàm Arithmetica, h.e. Nec ulla ſcientia id docet, nec Arithmetica: Nulla ſcientia humana ſpiritualiter magis nos illuminat, quàm Philoſophia, h.e. nec ulla ſcientia humana id facit, nec Philoſ.*

3. Sæpè in comparatis impropriis talia exempla ſunt, in quibus per comparativi oppoſitum cum adverbio minus explicatio facienda eſt. *Vt, ſimplex furtum melius eſt ſacrilegio, h.e. nec ſimplex furtum, nec ſacrilegium eſt bonum, ſed illud minus malum, quàm hoc, eſt. Scortari melius eſt, quàm adulterari, h.e. ſcortari minus peccatum eſt, ſed in ſe neutrum*

est bonum: Furtum melius est homicidio, h. e. furtum minus peccatum est homicido, sed in se neutrum bonum est: Inebriari melius, quàm adulterari, h. e. minus malum est, secus neutrum est bonum. Ebrietas melior scortatione, h. e. minùs est mala, timiditas melior temeritate, h. e. minùs mala, & sic consequẽter.

10. Circa universam hanc Comparativorum *doctrinam quia exempla quædam occurrunt, quib. variæ tricæ à diversis implicantur, Sophistias etiam varij modi adhibentur, ut* t. 11. seq. *patebit, distinctiùs ac specialiùs quædam discutienda venient.* Quæritur I. Quis sensus dicti, Act. 20. 35. Beatius est dare, quàm accipere? *Ex comparationis Naturâ facile de sensu ejus judicatur, ut* t. 3. *dictum. Sed tenebras dicto offundit* Bellarmin. L. 2. d. Monach. C. 46. *pro* mendicatione Monachorum *disputans. Validè enim hinc illa infringitur. Si enim beatius dare, quàm accipere, non statum perfectiorem habent, qui ipsi nil habent, unde dare poßint, sed perpetuò mendicando ab alijs accipere coguntur. Maleq; vovetur, quod impedit maius bonum. At paupertas voto recepta impedit liberalitatem in alios, non enim alijs largiri licitè quis potest, nisi de suo. Qui autem paupertatem vovent, nihil habent sui, unde largiri poßint. Sed largiri alijs longè maius bonum, quàm mendicare,* Act. 20. *Sic potiùs laborandum, ut poßis impertiri, cui opus sit,* Ephes. 4. v. 28. *Et Christus suos ab alienis inde discernet, quòd alijs benefecerint,* Matt. 25. v. 35. seq. Verùm regerit ille, beatius esse accipere temporalia, *ut expeditè dare poßis spiritualia, quàm nihil accipiendo à spiritualibus dandis impediri:* Vel *beatius, omnia sua propter Christum dare, & postea aliquid modicum accipere, quàm parum dare, & nihil accipere.*

11. Sed quàm plena Sophistias hæc omnia sint, sequentia osten-

ostendent. 1. Non dicit Paulus, *beatius esse accipere temporalia, ut dare poßis spiritualia, sed inversim & contrariè, beatius dare, quàm accipere.* Bellarm. *autem id invertit, & beatius accipere, quàm dare ait. Quod Christo & Paulo in mentem non venit.* 2. Non de spiritualibus, sed temporalibus dandis & accipiendis agit, *& hoc utrumq́ comparat, ac beatum magis dare temporalia dicit, quàm accipere. Vt* & Corn. à Lapide in h. l. *agnoscit. Spiritualia enim h. e. prædicationem Evangelij, semper dedit & ministravit; sive acceperit, sive dederit temporalia. Sed laborasse se manib. suis ait,* v. 34. *Vt ne temporalia acciperet, ejusq́ laboris causam adducit, quòd beatius dare, quàm accipere sit.* Inepta autem oppositio & ratio erit, *accipere temporalia, & dare spiritualia, vel laborare manibus, quia beatius spiritualia dare, quàm temporalia accipere. Sed* Paulus *simpliciter de largitione & acceptione corporeorum bonorum agit, & in his beatius dare, quàm accipere ait, quapropter & manibus suis laborârit.* In divinis aliàs axioma illud non procedit. *Pater enim ibi deitatem dat, & filius accipit,* t. 18. *Sed nec Pater inde beatior, nec filius infelicior, ut benè advertit* Co. à Lapide c. l. *Et in injurijs meliùs est accipere injurias, quàm dare & inferre.* V. t. 25. 3. Ex toto Contextu patet, *Paulum aliquid proprij habuisse, & tamen expeditè spiritualia dedisse. Quare proprietas isti officio non obstat, nec mendicitas majorem promptitudinem aut perfectionem status spiritualis importabit, ut de Monachorum votis paupertatis docetur. Nec abdicatio propriorum vovenda, quasi per se propria spirituali officio obstent, cum in eleemosynis erogandis, quod spirituale officium est, multum prodesse & juvare poßint,* cum nimia eorum cura, amor, addictio, tantùm obstent, *& sic propria per accidens spiritualibus obstaculum ponant. Possunt*

autem propria sine nimiâ curâ haberi, exemplo Pauli, qui propria habuit, & tamen spiritualib. vacavit. In Papatu autem propriorum abdicatio & mendicitas per se vovetur, non per accidens, nam & perpetua vota *sunt, quasi perpetua spiritualium dandorum & proprietatum contrarietas esset, cujus contrarium ipse Paulus facto suo ostendit:* Et multi mendicitatem vovent, *qui spiritualia nulla largiuntur, ut eremitæ cum bestijs degentes, multiq́ Monachi conventuales, nec prædicantes, nec officia ulla spiritualia obeuntes. Quòd si quidam prædicant, præter Monachismi votum, per accidens, & alijs de causis id agunt. Sed ex alieno vivere professioni mendicantium essentiale est:* Et deniq; curam illam non abdicant, *quæ propriè spiritualibus obstat. Nam Abbates & curatores conventualium, qui ex ipso fratrum devotorum numero sunt, curam temporalium acquirendorum & conservandorum maximè obeunt, æq́ ac seculares faciunt, quod lites, testamenta, legata, reditus, fundi, prædia, possessiones, aliaq́ testantur, & tamen idem genus paupertatis cum alijs voverunt. Quare* vel *contra votum agunt,* vel *curam in voto non comprehendunt, quam ut maximè spiritualibus obstantem comprehendisse debuerant.*

12. II. Quis sensus Ecclesiast. 7. v. 12. Utilior est sapientia cum divitijs, & magis prodest videntibus solem? *Nempe hic, melior est conditio sapientiæ cum divitijs, quàm sine istis.* Et ex hoc dicto contra mendicitatis votum proceditur. *Si enim melior vitæ conditio est, sapientiam cum divitijs habere, quàm sine illis, cum ad plura utilius illud sit, quàm hoc: Utiq́ non est status perfectionis in hac vitâ, proprietatem abdicare, sed retinere.* Melior *enim conditio ejus est, cui sapientia non destituta rerum proprietate adest.* Bellarminus alijq; Papistæ *iterùm miri Sophistæ sunt.* In Hebræo *ajunt esse,*

esse, bonam sapientiam cum divitijs esse, non quasi sine divitijs mala sit, sed quòd divitiæ sine sapientiâ malæ sint. Nam etsi pecunia à multis afflictionibus protegat: Sola tamen sapientia vitam præbeat, eoq́ sine sapientiâ parum aut nihil solidi divitiæ præstent. Verùm *hæc comparativum sensum convellere non poterunt.* 1. Vulgata Editio *comparativè reddidit, utilior est sap. magis prodest, à cujus authoritate non licet Papistis recedere sub anathematis Tridentini pœnâ. Comparativè ergò* ℸ *bonum reddendum pro meliore, utiliore, commodiore.* 2. Ipse sensus *totius contextus ostendit, comparationem ibi adduci sapientiæ cum divitijs & sine illis, & illam cum divitijs huic sine illis præferri, tanquam melius bonum viliori bono, non autem tanquam bonum malo, ut* t. 13. *patebit. Totumq́ hoc caput Ecclesiastis comparationibus abundat. Vt, melius bonum nomen unguento pretioso,* v. 2. *Melius ad domum luctus, quàm convivij ire,* v. 3. *Melior ira risu,* v. 4. *Melior finis orationis, quàm principium, &c. Quare* Interpretes & Commentatores pleriq; *comparativè exposuerunt, majoris est gloriæ sapiens cum divitijs, quàm tantùm sapiens, ut* Hieronymus & Albinus, *utilior est sapientia cum divitijs, quàm sine eis, ut* Lyra & Carthusianus, *præstat sapientem esse & simùl divitem, quàm tantùm sapientem, ut* Lorinus in h. l. *Sapientia donum DEI, & divitiæ dona DEI sunt. Vbi simul in uno conveniunt, ibi unumquodq́ fortius efficitur. Sic Salomon.* Ferus in h. l. *Ad incommoda vitæ opes magno usui sunt, sine illis enim vita ad pernitiem cadit, aut injucunda redditur. Itaq́ exploratum satis,* quomodo utilior sit sapientia cum divitijs. Victorinus ab Aversa Cavensi in h. l.

13. 3. Hebræum, bonum, *sæpè pro meliore poni in sacris frequens est, ut* c. l. v. 2. 3. seq. Et C. 9. v. 4. 16. 18. Psal. 37.

 v. 16.

v.16. Psal. 63. v. 4. Prov. 8. v. 11. 19. C. 12. v. 9. C. 15. v. 16. 17. C. 16. v. 8. 16. 19. 32. C. 17. v. 1. Et passim, *ut & καλὸν in N. T. pro meliore*, Matt. 26. v. 24. Marc. 14. v. 21. *Nihil miri, si & hic eo sensu ponatur.* 4. Comparatio *hic instituitur non rei bonæ cum malâ, ut sapientia cum divitijs sine sapientiâ, quasi hæ malæ essent, Proponuntur enim ut protegentes, sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia, in quo sanè ratio boni est*: Sed rei bonæ cum bonâ, *& sapientia cum divitijs melior, commodior, potior, utilior, censetur, quàm sine divitijs. Nec Comparatio aliena & non consistens esse cogitur, nisi altera pars* mala *statim esse intelligatur, ut sapientiæ sine divitijs mala esse cogatur: Nam & bonum bono comparari potest, ut melius, potius, utilius, eligibilius, commodius, ut* t. 3. *patuit. Conf. &* t. 20. Nec *sapientia cum divitijs, ut bonum cum malo comparatur*: Sed *sapientia divitijs juncta, ut bonum bono geminatum, & sic maius, cum eadem divitijs orbâ, ut bonum simplex & sic minus.* Bonum *inquam, bono comparatur, quod vel æqualitate, vel inæqualitate fieri oportet. Illud, cum æquè bona sunt: Hoc, cum non æquè.* 5. Etiamsi autem tandem *& hunc sensum reddas, bona est sapientia cum divitijs: Non inde tamen à contrario sensu statim inferre licebit, E. mala sapientia sine divitijs est, non enim ita inferre per Logicam fas est. Vt, homines sunt Philosophi, E. qui non Philosophi, nec homines sunt, ut multis* Tract. d. Opposit. s. 2. t. 20. seq. *ostensum: Sed adhuc sensus Comparatus obtinet, meliorem es. Sap. cum div. quàm eandem sine illis, sive divitiæ in se sint bonæ, sive malæ, hoc hic non curatur aut attenditur:* Imò magis *ut bonæ adducuntur, quatenùs protegunt, ut ante dictum: Sed sap. cum divitijs cum eadẽ sine illis comparatur, & illa melior hac esse affirmatur.* 6. Etiamsi demùm & absolutè uterq; sensus obtinere possit, melio-

rem

rem esse sap. cum divit. quàm sap. sine divitijs: Si tamen absolutè dicatur, *meliorem esse sapientiam cum divitijs, & alterum membrum non addatur, semper ille sensus importatur, quòd melior sit sapientia cum divitijs, quàm sine illis.* Quomodo dicitur, gratior est pulcro veniens è corpore virtus, *& sensus est, quàm non è tali corpore veniens. Sic*, prudentia *melior cum fortitudine, sensus est, quàm sine eâ.* Melior *eruditio cum prudentiâ, scil. quàm sine illâ.* Meliores *divitiæ cum virtute, scil. quàm sine illâ*, melius *artificium nosse, & diligentem esse, scil. quàm nosse, & non diligentem esse, & sic consequenter. Nec alium, quàm istum sensum, ita loquentes involuunt.*

14. III. Quis sensus istius comparationis, 1. Cor. 7. v. 9. Melius est nubere, quàm uri? *Improprius, & nubere bonum, sed uri non bonum intelligendum est*, t. 8. *Sed contra perpetuam continentiam votivam* Papistarum *inde argumentum texitur: Si melius nubere, quàm uri, E. & sacerdotes, si non contineant, melius agent uxores ducendo, quàm perpetuis ustionibus seipsos detinendo. Apertè enim dictum, si se non continent, nubant. Prius est. Ergò & posterius.* Bellarmin. L. 2. d. Mon. c. 30. Cor. à Lapide in 1. Cor. 7. v. 9. Becanus in Manuali, Cotonus in Inst. Vetweissius in Compend. Controvers. a. 8. q. 9. alijq; *varia in oppositum excipiunt.* Tò uri *non esse tentari, sed scortari, fornicari, incontinenter vivere, flagitijs se polluere, in actus secundos impuros prorvere, ut qui omninò decrevit fornicari aut nubere, is benèfaciat, si nubat, cum melius nubere, quàm fornicari sit.* Vel si tentari sit, *non præceptum & jussum nubendi dari, sed permissionem, & facile remedium ac portum ostendi, quò se recipiant, ita ut liberum tamen relinquatur ad majora & perpetuam continentiam*

ad

adspirare. Vel dici hæc liberis hominibus, *nondùm voto obligatis, quales Sacerdotes esse soleant. Similia* Tirinus Indic. Controv. C. 8. n. 11. Costerus C. 17. Euchir. aliiq; *habent. Sed universa hæc exigui momenti sunt.* 1. Tò uri latius *est, quàm actu externo scortari, notatq; etiam incontinentiam intùs conceptam, fotam, & desiderio accensam, cuiq; sua occasio implendi tantùm desit, ut &* Jacobus C. 1. v. 14. 15. *gradus tentationum distinguit, titillari, voluntatem flecti, & in consensum trahi, desideria ipso actu compleri, & Paulus ipse eis, qui se non continent, hæc dicit,* v. 9. *Non continere autem latius, quàm scortari est. Quisquis scortatur non continet, & uritur.* Sed *multi non continent & uruntur, qui actu ipso non scortantur, ut qui pravis cogitatis, desiderijs, cupidinib. flagrant. Ac Christus, qui aspexit mulierem desiderio potiundi, in corde jam mœchatum dicit,* Matt. 5. v. 28. *Quisquis intùs se non continet, intùs uritur, etsi incendium foris materialiter cum alterâ non misceat. Sic* Poëta, Urimur intùs, urimur, & cœcum pectora vulnus alunt. Est mollis flamma medullas Interea, & tacitum vivit sub pectore vulnus. Uritur infelix Dido, totaq; vagatur urbe furens. Tò *non continere gradus suos majores & minores habere potest, quorum quidam uri, quidam scortari esse queant, quos incontinentia simul comprehendit. Non continere est donum continentiæ non habere, ut* Thomas Aquinas *explicat.* Paulus *autem remedium & scortatoribus dat, & cuivis etiam cordis incontinentiæ, quam fugiendam docet, universimq; ijs, qui urantur, h. e. igne libidinis æstuantibus, angustatis, victis, ut* Dionys. Carthusianus explicat. *Qui etsi non pleno cordis assensu Sathanæ tela admittant, ita tamen turbantur, ut compescere tempestatem non posint, nec fræna remittunt, nec retinere valent,*

EXER-

EXERCITATIO II.

De ulterioribus Comparativorum exemplis.

15. AC in genere tàm ad renuntiandum contractum jam crimen scortationis, quàm præveniendũ futurum, *si quis eò proclivem se sentiat, opponitur hic conjugium, tanquã optimum remediũ, idq; tantò magis necessariũ, quantò ustionis major flamma est, eoq; major tentatio in secundo ac tertio, quàm primo gradu est, etsi ustiones universi sint. Præstatq; matrimoniũ inire, quàm vel scortari, vel quotidiè cum ustionibus luctari, unde Conscientiã inquietari oporteat. Non malũ cum malo, sed malũ cum bono, & morbum cum remedio confert Apostolus, & hoc consulit, illum rejicit. Sic* Gregorius M. *Cum tot capita infantũ in piscinis post cœlibatum sacerdotũ reperit, decretum mutavit, & Apostolicum hoc, melius e. n. q. v. adduxit, addens, & melius, quàm mortis occasionẽ præbere, ut ex epistolæ Vdalrici ad Nicolaum Papam patet apud* Magdeburgens. C. 9. c. 10. Bellarminũ L. 1. d. Cleric. c. 22. aliosq;. Dices 1. Ob fornicationẽ *uxorem habere jubentur,* 1. Cor. 7. v. 2. *Non tentationem.* R. Et *ob fornicationem internam, quomodo mœchatio talis,* Matt. 5. *hoc est, libidinem, quà ad scortandum illiciaris, internoq; æstu quotidiè flagres: Et ob ipsam fornicationis tentationem uxorem ducere juberi, verè dici potest. Nam & præveniendo fornicationis periculo remedium paratur, ut ante dictum.* 2. Quid aget maritus, *Si & ipse uratur, & domo abesse cogatur, aut uxor diuturno morbo decumbat, an & ipse scortabitur, ut ustionem extinguat?* R. Acquiescet *in remedio domestico, conjuge, ultrà non tendat. Et si absit, aut illa ægrotet, ad tempus peculiariter se ad continentiã à DEO vocari cogitet & abstineat, dabit Deus & isti rei finem, & non in perpetuum stimulis subesse permittet. Sed id nihil in perpetuum*

devotos juvare potest. Sed cælebs ustus remedium à Paulo monstratum, & à DEO institutum adhibeat. Nec minus peccabit fornicando vel urendo, quàm uxorem ducendo: Sed hoc agendo prorsùs non peccabit, verùm morbo remedium applicabit.

16. 2. Non permissio hic, *sed verum præceptum est, etsi non absolutum, sed hypotheticum & sub conditione positâ, si tentationes ac ustiones urgeant, & se non contineant, quod & verba Imperativa, ἐχέτω, γαμησήτωσαν, uxorem aut virum habeto, conjugium contrahunto, & res ipsa docent, cum matrimonium ut necessarium remedium ponat ijs, qui non habent donum continentiæ,* t. 14. *Et similia præcepta isto capite assignet,* v. 12. 13. 17. 18. 20. 23. 24. *Vnde & præcipere se ait* v. 10. *Sic* 1. Tim. 5. v. 14. *velle se dicit, ubi præcepti vis inclusa est. Ac fornicantes à fornicatione ad nuptias, velut à malo ad bonum, & morbo ad remedium ab Apostolo vocantur. At hoc non nudæ permissionis, sed præcepti esse solet.* 3. Præceptum generale est, *omnibus, qui se non continent, & periculo scortationis expositi sunt,* v. 2. 9. *sive voverint, sive liberi sint, datum, Omnis non continens ob scortationem habeto uxorem, & mulier virum, & sic præceptum Vniversale sub unicâ exceptione est. Nec Apostoli tempore tale votum continentiæ ratum aut notum fuit, ut de devotis excludendis cogitari non potuerit. Quòd si omnibus nondũ devotis nuptias ob fornicationis periculum necessarias docet, utiq; omnibus author est, ne tale votum emittant, aut si faciant, à temeritate non absolvat.* Quòd *si de devotis non loquitur Apostolus, de quibusnam non, de privatis, an solennibus? Sic enim in* Papatu *distinguitur. Et privatos ipsi nubere quandoq; sinunt. Publicos ergò excluserit? At de illis nec mentio, nec cogitatio Apostolo esse potuit, ut qui ejus ætate nulli in Orbe?* Dices 1. Est medium inter nubere & uri, *continere, ustionem inediâ ac lacrymis extingue-*

tinguere, & hoc suaderi potest. R. Tertium illud *quasi exclusum ab Apostolo supponitur, eoq; ex reliquis duobus inter se disjunctis & per illam suppositionem immediatè inter se oppositis, conclusio necessaria sequitur, nubant. Datur enim hoc præceptum illis, qui non continent, nec donum illud habent, sed ustionibus subjacent.* His stultè suadebis, continere, cum contradictorio ejus, non continere, laborent. *Perindè acsi ægroto suadeas, non ægrotare, cum remedium, quo morbum pellat, suadere debeas. Sic non continenti remedium ostendendum, nubere, non contradictorium suadendum, continere, quo illuditur, non juvatur. Et quid inediæ ac lacrymæ hic proficiant, ubi donum continentiæ à DEO non datum est, Hieronymi exemplum in epist. ad Eustochium docere possit.* 2. Si ligati *censentur, qui conjugi fidem dederunt, cur non, qui DEO, ut per id matrimonij incapaces putentur?* R. Quia *Deus nempè fidem illam continentiæ non accipit aut ratam habet, cum à superstitione cogitatum votum, ac temeritate voventis proficiscatur.* Sed conjux *fidem suscepit, aut si id non fecit, similiter non ligatus aliquis censetur.* Reliqua, *quæ hic excipi solent, & rationes, quibus exceptiones suas firmant, alibi expediuntur.*

17. IV. An sensus illorum Pauli verborum ita explicandus, ac cum latroni dicatur, melius hominem spoliare, quàm occidere est, hoc est, minus malum est? *Sic* Tirinus & à Lapide, t. 14. alijq; *volunt. Sed pessima est explicatio.* Nam 1. Apostolus *non malum malo, sed bonum, & morbum remedio comparat, quod in nubendo collocat, quodq; non continentibus necessarium & divinitùs institutum medium est,* t. 16. *Non ergò tale æstimari potest, ac si latroni dicatur, melius hominem spoliare, quàm occidere est, ubi utrumq; malum & internè illicitum est, etsi alterum gravius sit.* 2. Si nubere minus ma-

 lum

lum *ac uri, naturâ ſui reverâ malum culpæ & peccatum erit. At tale quid ab Apoſtolis conſuli non ſolet, nec exemplum ejus in ſcriptis eorum reperietur, quod conſuluerint minus peccatum patrare, ut evitetur majus. Semper enim utrumq; vitandum docent. Nec Scriptura duorum malorum, quæ intrinſeca mala culpæ ſint, unquam optionem dedit. Sic non, melius adulterium committere, quàm uri, melius furari, quàm inebriari, mentiri, ſcortari. Illudq;* Ethicorum, Inter duo mala minus eligendum, *valet de malis pœnæ, infortunij, & ſupplicij, inutilibus & injucundis, non culpæ, maculæ, vitij, & peccati. Hoc enim planè non eligendum.* V. Timplerum 1. Polit. c.7. q.5. Et exerc.9. q.33. *aliosq;. Niſi* ſummæ neceſſitatis caſum *fortè excipere velis, cùm nullo modo alterum evitari poteſt, ubi tamen pœnitentia ſtatim ſubjungenda, ut quidam volunt.* Balduinus ad Rom. c.3. q. 8. p.1. Becanus p. 2. Th.Schol. T.2. c.27. q.4. alijq;. 3. Si nubere *malum eſt,* vel *in omnibus erit,* vel *quibusdam.* Si omnibus, *E. nullus licitè nubere poterit, quod contra jus Naturæ & ſenſum communem eſt.* Si quibusdam, *E. eos Verbo DEI ut inhabiles ad nubendum & à nubendo exceptos declarari oportet, ut infantes, pueros, furioſos, conjugatos. Sed talis declaratio circa ſacerdotes in eo non reperitur, & ex eo oſtendi nequit, ubi potiùs contrarium invenitur, habilitas eorum ad conjugium, & Epiſcopum unius uxoris maritum eſſe debere dicitur,* 1. Tim.3. v.2. Tit.1. v.6. *Et honorabile conjugium in omnibus perhibetur,* Heb. 13. v. 4. *Qui ſcilicet lege divinâ inde non excipiuntur aut arcentur.*

18. V. Quis verus ſenſus comparativæ Chriſti, Pater major me eſt, Joh. 14. v. 28. *Proprius, & ſecundùm Comparationis naturam intelligendus, quòd aliqua prærogativa Patris præ filio ſit, eò quod Pater & principium filij ſit, & filius à Patre ac*

tre ac principio. Est enim in Patre authoritas principij respectu filij, quæ non est in filio respectu Patris, Est enim filius à Patre, non contrà, ut Bellarmin. L. 1. de Chro. c. 9. Gerhardus exeg. d. perſ. Chri. t. 68. alijq; *loqvuntur. Vnde* Veteres Patres *paßim Patrem majorem vocant, quòd ab eo filius & Spir. S. ſit, non autem Pater ab illis, in eoq; non paulò liberiores Graci, quàm Latini ſunt.* V. Tannerum T. 1. Th. Sch. d. 4. q. 1. d. 8. n. 8. *Salvâ tamen æqualitate eſſentiæ, perfectionis, attributorum eſſentialium, & dignitatis.* Sic Anaſtaſius Sinaita l. 1. d. rect. dogm. *Pater major prædicatur, quòd auctor & cauſa filij ſit, non autem ſecundùm ſubſtantiam.* Athanaſius Serm. 2. in Arian. *Pater major filio non quantitate & tempore, ſed propter nativitatem ex eo.* Nazianzenus Or. 4. d. Theol. *Pater major, quia cauſa filij.* Hilarius *duas perſonas ait, Majorem Patrem, filium ſubjectum cum omnibus, quæ Pater ipſi ſubjecit, & hoc Catholicum dicit,* L. d. Synod. Damaſcenus, *Pater major filio, qui ex ipſo habet tùm ipſum eſſe, tum quæcunq; habet,* L. 4. c. 19. Idem, *Pater major eſt non naturâ & dignitate, ſed tantùm origine,* L. 1. d. fid. c. 9. *Pater major me eſt, eò quòd Pater eſt, videlicet, ait* Baſilius L. 1. *Everſ. Similia apud* Epiphaniũ, Tertullianum, Origenẽ, aliosq; *reperiuntur,* ut alibi *docetur.* C. à Lapide *etiam* Cyrillum, *Leontium, Chryſoſtomũ,* Euthymiũ in C. 14. Joh. *adducit,* *in* h. l. Maldòatus *Hilariũ & ſimiles plus æquo Arianis conceßiſſe dicit. Sed durius id eſt, quàm ut aptè in tantos doctores quadret.*

19. Si quæras, an reſpectu divinæ, an humanæ naturæ, an neutrius, id dictum, *Patres quidam etiam ratione deitatis explicant, ut* Epiphanius in Ancorato, *cui id vitio ab eruditis verti* Rivetus proleg. Crit. ſacr. c. 9. ait, alijq;. *Rectiùs* ratione nativitatis, *principiationis, & originationis dictũ eſſe dicitur, quomodo fontalitas & authoritas in divinis nihil*

aliud notat, quàm principium originis, ut Thomas ap. Tanner. c. l. d. 4. q. 4. d. 1. *loquitur. Esse enim & omnia, quæ filius habet, à Patre data accipit*, Joh. 5. v. 26. C. 10. v. 25. 32. C. 14. v. 10. 11. *Non humanitatis præcisè, in quà minor sanè Patre est, ut creatura creatore, Nec divinitatis, in quà plenè æqualis Patri est, ut character substantiæ vivaq; ejus imago*, Col. 1. v 15. Heb. 1. v. 3. *Ut* alibi *plurib. traditur*. Dices 1. Ratione originationis *potius prior, quàm major Pater dicatur*. R. Utrumq; *dextro sensu dicitur, quomodo & Patres orthodoxos ita locutos certum, ut ex antè dictis patet. Esse enim & vitam ac omnia Pater filio dedit, filius à Patre accepit, & hactenùs majoritas ac prærogativa ratione derivationis agnosci poßit, etsi ratione essentiæ, dignitatis, cultus & honoris vera utriusq; sit æqualitas*. Minor *Patre filius est, quà generationis suæ authorem agnoscit Patrem, ut sunt verba Ignatij: Sed non minor propter essentiæ unitatem, ait* Alstedius in dist. Theol. c. 3. t. 94. 2. Ubi una numero *essentia, ibi ratio majoris & minoris locum non habet. At in Patre & filio in DEO ita est. R. Ratione* nempè essentiæ, *ubi etiam non est ea, sed mera identitas: sed originationis & derivationis tantũ, ut ante dictum, quæ est ratio aliqua oriendi in essentiâ, non ipsa absolutè*. Et antecedens falsum est. *Nam unitas primarium attributum entis præ bonitate, veritate, ubietate, duratione, & una numero tamen omnium essentia entis est. Si ratio prioris ac posterioris, originantis & orti, fundantis & manantis, Causæ & à causâ, principij & à principio, in uno numero esse locum habet, & majoritas ac minoritas aliqua in eo esse potest. Penes rationem enim habendi lò esse ea spectari potest, non ipsum esse absolutè.*

20. VI. Quis sensus comparationis, qui non matrimonio jungit, meliùs facit, 1. Cor 7. v. 38. Et v. 40. Beatior erit,

erit, si permanserit, scilicet sine conjugio? Papistæ *de bono morali explicant.* Bellarm. L. 5. d. lib. arb. c. 9. Et 23. *Et melius ac beatius de gratius & acceptius apud Deum intelligunt.* Idem L. 2. d. Monach. c. 9. & 28 *Sed utrinq; erratur.* Non de morali aut Theologico, *sed civili bono Apostolum agere contextus docet.* De nuptijs enim contrahendis agit, *quas indifferentes in utramq; partē concludit, sive contrahantur, sivè minus. Si quis elocat virginem, non peccat. Si servat, benè facit. Hoc nunquam* de peccato vel bono ei contrario *utrinque dici potest, sed in alteram partem dicendum, qui peccatum admittit, non benè facit, & qui bonum omittit, peccat.* Paulus *autem conscientias liberare vult à laqueis, quos alij ponebant, conjugium malum dicentes; Et indifferens illud facit, nec jubet, nec prohibet, perindè ut arare, navigare, cantare.* In re autem *civili nec melius Theologicè facimus, sive agamus, s. omittamus, nec per id DEO gratiores evademus.* Sensus ergò est: *Qui elocat virginem, benè facit civiliter & in vitâ civili. Qui servat, meliùs facit in eadem vitâ civili, varijs enim incommoditatibus & adversitatibus hujus seculi eam subducit.* Similiter & melius ac beatius *hic non gratius & acceptius apud DEUM, sed* tutius, securius, commodius, & eligibilius in vitâ *ac societate civili ob præsentes molestias, adversitates, & eo tempore persecutiones, quotidie Christianis incumbentes, declinandas notare,* patet 1. Quia propter instantem necessitatem *Paulus bonum ait homini sine uxore esse, v. 26. Non propter oppositionem peccati, quasi uxorem habere peccatum esset: Et necessitatem illam pleriq; Patres de adversitatibus ac persecutionibus fideliū in hac vitâ, quæ passim tùm ingruebant & sæviebant, exponunt,* Theophylactus, Sedulius, Primasius, Oecumenius, Anshelmus, Hieronymus, alijq;, *& ex Papistis* Caietanus. *Ma-*

leq;

leq. Bellarminus *de diebus à Christo prædictis, & brevitate eorũ* Matt. 24. *accipit* L.2. d. Monach. c. 9. Quorsùm *respiciendi causa & occasio hic nulla fuit, Nec unquam instans necessitas in sacris tempora excidium Jerusalem aut ultimum diem antecedentia notare reperitur.* Et licet *eò respiceretur, nostra de adversitatibus sententia validè indè stabiliretur, gravissimi enim motus adversitatum illis excidij Hierosol. temporibus successerunt & invaluerunt.*

21. 2. Quia expressè *nuptos tribulationem carnis habituros ait, se autem hominibus libenter ab illis parcere velle,* v.28. *Illud bonum ergò, melius, & beatius ratione talium tribulationum accipiendum.* 3. Quia *sine solicitudine eos esse vult, non nimiùm curare, quæ mundi sunt,* v. 31. 32. 33. *Bonum ergò & melius ratione talis minoris solicitudinis, hoc est, temporariæ hujus commoditatis accipiendum.* 4. Quia *cælibatum cum continentiæ dono facultatem sine impedimento DEUM obsecrandi præbere ait,* v. 35. *Cuius obstacula ingerere possit status conjugalis. At hæc omnia præsentis commoditatis huius vitæ sunt, eoq; ꝭ bonum & melius pro in præsente vitâ commodiore accipi faciunt.* Bellarmin. *pro opposito nonnulla adducit.* 1. Paulus dicit, *virginitatem esse sanctitatem corporis & spiritus, & cogitare, quæ Domini sunt, quomodo DEO placeat. E. ꝭ melius apud DEUM gratius notat.* R. Verba Pauli *pervertuntur, quæ de virgine agunt, non virginitate. Virgo, quæ cum dono continentiæ talis est, solicita est, hoc est, esse debet vel potest, sic enim verba actuũ officia quandoq; notant,* Malach. 2.v.7. *quæ DEI sunt, quomodo DEO placeat, Nam facto interdùm secùs esse posse experientia docet. Sic maritus curat, quæ uxoris, quomodo uxori placeat, ut tamen & interdùm curet, quæ Domini, & meliùs, quàm cælebs, ut* Salmeron in h. l. *annotat. Et exempla Patriarcharum, piorum regum,*

gum, & Prophetarum docent, ac à pijs conjugibus requiritur, 1.Cor.6.v.15. seq.2.Cor.7.v.1.1.Tim.2.v.15. *Nec verba exclusivè, sed* comparatè *intelligenda sunt. Quod egregiè agnoscit* Espenseus Comment.in Tit.2. *Sic de* Spiridone *Episcopo* Nicephorus *tradit, quòd conjugem & liberos habens non ob id deterior aliquo in rebus divinis fuerit*, L.8.C.42. Idem de Gregorio Nysseno, Basilij *fratre, conjugato scribit, quòd alijs reb. fratri minimè cesserit*, L.11.c.19. *De* Hilario *uxorato* Mantuanus: Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor *Legitimo conjuncta thoro. Vt autem* aliud *maritus*, aliud *uxori placere: sic* aliud *virginitas*, aliud *Dominum curare ejuè placere, quamvis Virgo id curare debeat, & virgo ac modus placendi DEO apertè Paulo discernantur.* 2. Continentia per se honesta, *decora, ac DEO cara dicitur, & quæ facultatem sine impedimento DEVM orandi det*, v.35. *E. & coram DEO gratior ac utilior*. R. Per se ita *non dicitur continentia, liberum enim facit eam rescindere & virginem nuptum dare*, v.36. *Et hoc benè facere ait*, v.38. *Quod de re rei per se honestæ contrariæ ita dici non potest: Sed continentia per aliud decora & grata est, quà expeditiùs nos Deo servire facit. Non autem quod ad aliud bonum utile est, statim in seipso DEO gratius est. Sic status Magistratus ad quietem in pietate & honestate utilis*, 1. Tim.2. v.2. *Nec per se alio statu DEO gratior est, nec* Papistæ *cœlibatu & clericatu eum gratiorem DEO dicent. Neq; continentia facultatem Deum orandi dare dicitur: Sed ut decens & benè adhærens Domino indistinctè sit, quia nempè minuit distractiones, quæ in conjugio, ut expeditiùs & commodiùs DEO adhærere possis.*

3. Beatior dicitur virgo, *si sic maneat*, v.40. *Quod Ambrosius dignior in futuro seculo explicat. E. & DEO gratior Virginitas conjugio.* R. Beatior eo *sensu dicitur, quo bonum*, v. 8.26.

Ob statum hujus vitæ, t. 21. *Quietior, securior, expeditior, felicior. Omninò enim species felicitatis cujusdam est, hujus vitæ tribulationibus carere, & sic commodiorem vitæ statum cœlebs habet, quàm conjugatus.* *Ut* in h. l. *etiam advertit* Arias Montanus. *Ac in totâ illa disputatione* c. 7. *Apostolus ne verbo beatitudinem futuram in cœlis insinuavit. Quomodo in solâ conclusione capitis uno verbo, eoq́ in se ambiguo, eam induxerit?* *Nec* Ambrosius *in futuro seculo dicit, sed futuro tantùm. Nec reliqui* Patres, *nec* Salmeron, Justinianus, *ad beatum* hoc loco *quidquam annotant, non omissuri, si tantum emphasios ac momenti in eo latere observassent.* C. à Lapide *quidem eò extendit, & Ambrosium allegat. Sed ultra scopum Apostoli & Ambr. illud est.*

22. VII. Quis sensus melioris, cum melius nomen eunuchis promittitur, quàm filijs & filiabus, Esai. 56. v. 4? Pontificij ad *consilia Evangelica magno conatu accommodant, quæ perfectius aliquid insinuent, quàm præcepta, & suadeant, non imperent, commendent, non mandent, ut* Bellarm. l. 7. d. Mon. c. 7. *tradit, Idemq́ locum primò omnium adducit* c. 9. Et c. 31. *reducit.* Corn. à Lapide & Forerius in Esai. 56. *Verùm illa ibi non intelligi multa sunt, quæ doceant.* I. Quia *non de Eunuchis præcisè sermo est, qui se castrant propter regnum cœlorum, ut* Matt. 19. v. 12. *Quales Pontif. suos cœlibes esse volunt: Sed in genere carentes liberis & sobole, steriles, qui molestè orbitatem ferunt, aut qui ante nuptias decesserunt, ut* Cyrillus *advertit, &* Lyranus *impotentem ad generandum reddit, Opponiturq́ mori Judæorum, quibus orbitas summo probro erat, unde* Glossa ordinaria *dictum allegat, Maledictus, qui non reliquerit semen super terram, &* Rabbini *dicunt, qui semen ex se non edit, pro effusore sangvinum habetur,* ap. Gerhardum T. 3. d Evang. t. 93. *Et à cœtu populi DEI separabantur eunuchi,* Deut. 23. v. 1. *Ex illo more dictum*

dictum hic adducitur & explicandũ est, & talibus consolatio hoc in loco opponitur, nulla autem prophetia de futuris cœlibibus N.T. & monachis hic texitur. 2. Quia prorsùs *non de voluntarijs continentibus, sed de casu aut naturâ eunuchis loquitur, quibus, si de cætero pij fuerint, amplior aliqua merces in solatium probrosæ apud Judæos orbitatis ac ἀτεκνίας promittitur, ut maximè conjugati fuerint, aut mulieres habuerint. Velut per advenas Naturâ & loco tales intelligit, non peculiari statu aut electione.* Et quia eunuchum ad *fidem venientem & mandata Domini eligentem intelligit, non in fide jam existentem, ut* Lyranus *advertit, per Eunuchum Judæum, per filium advenæ gentilem ad fidem venientem intelligit, & ante eum jam* Cyrillus, *etsi quidam* Patres *diversum intendant.* *Sed* Pontificij *continentes jam in fide sunt, non ad eam demùm veniunt, & ultra fidem consilia perfectionis propter regnum cœlorum suscipiunt.* 4. Quia *etiamsi de continentiâ ageret, non tamen de voluntariâ & assumptâ, sed magis de necessariâ & immissâ, qualis impotentia ad generandum, orbitasq; ac defectus filiorum & filiarum est. Hæc ad mentem Prophetæ est.* *Sed* Pontif. *continentia electiva & assumpta est.*

23. Dices 1. Dicitur, *qui elegerint, quæ ego volui. Sed qui eligunt, voluntariè agunt.* R. In sacris eligere *dicuntur, etiã quibus præcepta imponuntur,* Deut. 30. v. 19. Jos. 24. v. 15. Psal. 119. v. 30. 174. Ps. 84. v. 11. *Et istud eligere non ad eunuchismũ, sed alias conditiones eunuchis additas, quarũ ratione merces promittitur, pertinet, ut sabbatha custodire, eligere, quæ velit Dominus, fœdus Dei tenere, &c.* 2. Si coactis *eunuchis majus præmiũ promittitur, magis voluntarijs.* R. Non coactis, *sed casu aut naturâ talibus factis. Et his præmium præ alijs ob probrum, cui in Judaismo subjecti sunt, cur non promittatur?* Contraria consequetnia *tan-*

tùm à ratione fingitur, non è textu exportatur. Et à minore ad majus illatio topica & probabilis *saltem est, non necessaria. Neq; præmium majus eunuchis, quàm conjugatis, promittitur, neq; continentia perpetua illis consulitur aut imperatur.* 3. Qui non eunuchi sunt, *postponuntur eunuchis, sed non tamen à regno cœlorum illi excluduntur. E. continentia non imperatur, sed consulitur.* R. Falsum, postponi eunuchis: *Et* consequentia falsa, *nec imperatur nec consulitur perpetua continentia, sed de orbitate agit, & ea non voluntariâ, sed molestâ, & ante fidem in homine existente, non post eam sponte electâ.* 4. Præmium ac Gloria *singularis, quàm filiis & filiabus, Nomen melius in domo DEI eunuchis promittitur. E. ipsos reliquis præferri oportet, & singulariter præ cœteris aliquid egisse.* R. Nomen melius *quàm filiis & filiabus promittitur, sed non præcisè, quàm filiis DEI, nec hoc additur, quasi pii præcisè intelligendi, & eunuchi melius nomen sortiri debeant, quàm ipsi pii: Sed* Judæi reliqui in communi notantur, *qui liberos haberent,* πολύτεκνοι *essent, & sic isti opprobrio sterilitatis, cui eunuchi etiã conjugati, non præcisè cœlibes, non subjacerent, uti communiter filii & filiæ in sacris appellantur Judæi,* Matth. 8. v. 12. Luc. 16. v. 25. Esai. 1. v. 2. *Sivè pii sivè impii sint. His ergò melius nomen accipient Eunuchi & steriles pii ac Deum timentes, utcunq; cætera apud Judæos contempti & rejecti sint. Hoc autem nomen cum piis omnibus ipsis commune est.* Deindè *non ob eunuchismum, sed pietatem adjectam id promittitur, nempè illis, qui custodierint sabbatha, & placita elegerint, & fœdus tenuerint, ut* & de advenis, *qui Dominum colant, diligant, adhæreant & serviant ei, idem dicitur, qui non omnes continentes seu cœlibes fuerunt* v. 6. Et v. 12. *Statim pietas inculcatur, quibus reliqua de eunuchis subjiciuntur, ne quem personarum respectum apud DEUM obtinere*

cogite-

cogitetur, quomodo apud Judæos eunuchi contempti. Apud Pontificios *autem ipsi cœlibatus statui major perfectio & præmium tribuitur.*

24. 5. Non promitteretur major gloria illis, *quàm filiorum & filiarum DEI, si non peculiari modo DEVM promeruissent.* R. Nec promittitur major *quàm filiorum DEI, nec τὸ DEI in textu extat*, t. 23. *Nec Hebræo is sensus est: sed melius nomen præ filijs & filiabus, hoc est*, quàm sit filios & filias habere, seu *fœcundum, prole beatum, non sterilem esse, quomodo 70. simpliciter reddiderunt, meliorem filijs & filiabus, sic enim Hebræi comparativorum vim, cum res rei præfertur, exprimere solent. Vt bonum nomen præ unguento*, Ecclef.7.v.2.V.t.13. *Nec apud Hebræos melius filijs dicitur pro, melius, quàm quod datur filijs, sed Græcorum magis ea phrasis est, nec utriusq; phrasios idem sensus est:* Neq; *cœlibes conjugatis præferuntur, nec continentibus aliquid melius promittitur, sed tantùm melius aliquid illis datum iri dicitur, quàm si filij ac filiæ darentur, quod etiam conjugatis, sed sterilibus, dici potuit:* Neq; *negatur præcisè & conjugatis dandum, etiamsi patres essent, & liberos genuissent.*

25. VIII. Quis fenfus, Confilium Rubenis melius fuit de proijciendo Jofepho in foveam, quàm reliquorum filiorum Jacobi de occidendo? Gen.37.v.20.22. Improprius, *& hoc modo intelligendum, minùs malum fuit, quàm alterum. Naturâ sui malum fuit. Innocentem enim, & multò magis fratrē, lædere, angustare, ac in foveam proijcere, ex sese malum est, utcunq; intentio Rubenis bona fuerit*, v.22.29. *Sed quæ sola ad aliquid bonum faciendum non sufficit, non enim agenda mala, ut eveniant bona*, Rom.3.v.8. *Sed oportet & actum naturâ sui ex objecto & cæteris spectatum esse legitimum*, ut dec. 8. Mifc.d.2.t.14.feq. Et d.3.Eth.t.7.*dictum. Non enim fu-*

vari est bonum, ut des eleemosynam, aut mentiri, ut aliquem periculo liberes, Dec. 3. c. I. d. 7. t. 28. 26. *Vltimâ necessitate tale consilium Ruben dedit, cum aliud non succurreret, quæ interdùm peccatum minuit*, t. 17. *Sic & Juda consilium de vendendo eo dedit*, v. 27. *Sed quod etiam naturâ sui malum fuit, etsi bono fine id Judas dixerit, ut quidam censent. Domum redire, & rem totam Patri Jacobo indicare debuissent, si quid verè boni agere hic voluissent. Sed quod non fecerunt, verùm longo tempore rem dissimulârunt, & Patrem mendacijs circumvenerunt*, v. 32. *Itaq; à crimine absolvi nequeunt.*

IX. Quis sensus, melius injurias ferre, quàm inferre? An verè comparativus sit? R. Non, *sed impropriè talis. Non enim licet resolvere, injurias ferre est bonum, & inferre est bon. sed ferre magis bonum, quàm inferre est.* Nam inferre prorsùs non bonum, *sed malum & illicitum est. Eoq; in sensum comparatum improprium est resolvendum, melius injurias ferre præ inferre, hoc est, inferre non est bonum, sed ferre.* v. t. 8. *Ejusdem sensus & hoc est, satius calamitates ferre, quàm inferre, hoc est, præ inferre, hoc enim non bonum est. Eleganter* Chrysostomus homil. 78. ad pop. Melius, injuriam pati, quàm inferre. *Patienti enim DEVS totum cœlum reserat, sanctorum civem efficit, à peccatis absolvit, justitiâ coronat. Non es affectus injuriâ, sed coronatus, animâ redditus sapientior, DEO similis constitutus, curâ pecuniarum liberatus, cælorum regnum adeptus.*

X. Quis sensus istius, melius bono adversatur? An verè comparativus, an magis absolutus? *Proverbium apud* Petrum Delphinum l. 9. ep. 60. *est, ubi, qui benè stat, ait, non moveatur. Vulgò dicitur, melius bono adversari. Sensum propriè comparativum non habet, sed absolutum, &* τὸ melius loco sub-

cō subjecti *in enuntiato tanquam primarium subjectum ponitur, cum in verè comparativis ad prædicata pertinere soleat. Vt, Socrates doctior Platone, DEVS nobilior creaturâ,* t.3. *Sensus autem adagij est*, spe melioris boni non esse facilè bonum aliquod deserendum, cum plerumq; accidat, ut melius bonum in bonum arietet, illudq; evertat. *Vtemurq; eo, cum ab aliquâ mutatione spe melioris boni avocare aliquem volumus, bono ipso cariturum, si spes melioris fortunæ & boni deceptus bonum reliquat.*

26. XI. Quis sensus vocis melior ap. Tacitum. Patienda meliorum imperia. L.13.ann c.14? *Principes* & Optimates *ibi intelliguntur, qui meliorū nomine à scriptoribus honestantur.* *Sic* Otho Frisingensis L.2.c.20. *Gladio exserto in meliorem & nobiliorem omnium Ravennatensium manum misit. Quia nempè melior esse debet, qui superior, & tùm proceris ac primarij nomen meretur, si probitate cæteris antistet. Indè proprium regum epitheton bonus est apud Latinos. Sic* Virgil. 1. Æneid. *Vina bonus quæ deindè cadis onerârat Acestes.* Martialis *de Domitiano, & bonus ætherio lactatur nectare Cæsar. Et* L. 12. de Trajano: *Temporibusq; malis ausus es esse bonus.* Horat. l. 4. Od. 5. *Divis orte bonis optime Romule. Apud* Plutarchum l.d. Iside Bacchus *dicitur* πολυαγαθὸς, *multùm bonus. Et* Paulus *Felicem præsidem optimum vocat,* Act. 26.v.25. Interdùm melius *Latinis idem ac levius est.* Plautus truc. act. 2. s. 5. Mulieri nimio malefacere melius est onus, quàm benè, *id est, levius & facilius.* Interdùm *copiam notat.* Idem Mostell. a. 4. s. 2. *Atq; ibi* meliusculè, *quàm satis fuerit, biberis, id est, largiùs. Nisi fortè meriusculè, ut* Gruterus, *vel, ne plusculè, ut* Guilielm. *conjectatur, legendum sit.*

XII. Quis sensus comparati, Non fecit taliter omni natio-

nationi, Psal.147. v. 9? *Comparatè id respectu aliorum enuntiatur, non absolutè.* *Nempè* tàm illustrem & splendidam *Verbi annuntiationem, miraculis ac visibilibus signis junctam, sedeq; velut publicâ in medio populi constitutâ, non impertiit DEUS reliquis gentibus sub V.T. Ac fecit Judæis & populo Israelitico, apud quem sedem & habitaculum fixit,* Exod. 15. v. 17. Psal. 76. v. 3. Psal. 68. v. 17. Psal. 132. v. 13. seq. Ps. 135. v. 21. Esai. 25. v. 10. C. 31. v. 9. Ezech. 43. v. 7. *Statutaq; sua publicè ac solenniter annuntiari fecit, consultus responsa dedit, sacrificia publicè offerri jussit, benignũ se ad ea aut aversum, exhibuit, qualiter non in reliquis gentibus egit, eoq; sub tali respectu ac comparatione dictum capiendum. Non autem eò cum* Reformatis *trahendum, quasi prorsùs non ad salutem gentes DEUS sub V.T. vocârit, sed Evangelicã prædicationẽ solis Judæis indulserit, ut* Piscator in hunc locum, Zanchius in Miscellan. Beza in Actis, aliiq;. *Ad minimum enim sub* Adamo & Noacho *totum mundum omnesq; homines ad pœnitentiam vocavit, gratiamq; prædicando offerri fecit. Quòd prædicationem istam non retinuerunt, sed excusserunt gentes, vitium ipsarum est, nec tenetur DEUS lucem apud ingratas gentes earumq; posteros jure extinctam iteratò incendere & ministrare, sed justo judicio in tenebris tenere ac relinquere potest:* Et gentes ipsæ *incuriâ ac socordiâ in idololatriâ permanserunt, non de vero DEI cultu inquisierunt, nec notitiis naturalibus ad inquirendum DEUM sufficienter usæ sunt, sed excessu & defectu variè peccarunt, ut* Tr. d. Not. nat. c. 4. *docui. Sed & fama exitus ex Ægypto, & postea erecti templi Hierosolymitani ac cultus ibi instituti, & miracula terræ Judææ, in totum Orbem dimanârunt, ut subinde proselyti ad colendum DEUM Hierosolymam pertracti fuerint, ut Biblicæ & profanæ historiæ testantur.*

Et ultima.

De ulterioribus Comparativarum exemplis.

Unde satis luminis hauriri gentibus potuit, quoad verum Deum cognoscendum devenissent. Tàm publico *ac solenni ministerio ad gratiam non sunt inuitatæ gentes sub V.T. ac Judæi: Interìm media deveniendi ad eam nec omnia, nec absolutè illis negata fuerunt.*

27. XIII. Quis sensus Luc.7.v 47. Multum ei remissum, quia plus dilexit? Comparatio *aliqua hic est, & ratio comparationis aliquid habet;* Sensusq; est, *ista mulier majorem peccatorum remissionem habet, quàm Pharisæus, quia majorem dilectionem habet, quàm ille. Sed* rationale enuntiatum est, non præcisè causale, *& ratio qualiscunq; adducitur, unde aliquid concluditur, non præcisè* causa, *ex quâ peccatorum remissio oriatur. Vt si dicam, vivit iste homo, ambulat enim, movetur, & loquitur. Vbi ambulare & loqui non causa vitæ, sed effectum, signum, & indicium est. Sic doctus est, quia argutè Philosophatur, ex effecto adjunctum de subjecto colligitur.* Sic hic, *multum remissum ei, quia plus dilexit,* ex adjuncto aliquo in subjecto alterum adjunctum colligitur, *non quòd tanquam causa & effectus præcisè se habeant: Solentq; in rationalibus* qualitercunque connexa *sibi subjungi, etiamsi causarum & effectorum rationem ad sese non habeant. Comparat enim Christus Pharisæum cum muliere in dilectione, tanquam evidente justificati animi indicio, & mulieris dilectionem Pharisæi officijs longè præfert, ut ostendat, illam multò magis justificatam ipso, qui summum justitiæ apicem sibi tribuebat, & reverâ remissionis nihil adhuc dum nactus erat. Justificatam enim demonstrat ex ferventi caritate, ut manifesto indicio,*

28. XIV. Quid meliores nancisci aves proverbialiter dicatur? Nempè, *ubi post res adversas prosperiora succedunt. Ales enim & avis omen* Latinis *notat. Sic malâ avi duci domum apud* Horatium, *& apud* Homerum, *ne tu mala ales in ædibus fueris. Veteres enim in plerisq; rebus aggrediendis avium occursus, voces, cantus, pastus, ac qualitates observabant, ac augures illud velut arte quadam profitebantur & ostentabant. Vnde apud Romanos augurum Collegium.* V. Valerium M.l. 1. c.4. Ciceronem in Catilin. Et L.3.d.legib. *Sic bonis avibus de felice, malis de infelice facto dicitur. Sic mala solata navis exit alite, ferens olentem Mævium,* Horat. epod. 10. *Et Mæonij Carminis alite* Idem L. 1. od. 6. ait. XV. Quis sensus, cum dicitur, melius aliquid, quàm nihil? *Nempè quando totum rei haberi nequit, satius est, aliquid de re nancisci, quàm prorsùs nihil, & toto excidere.* Sic *cum ab improbo debitore totum extorqueri nequit, satius dimidium sumitur, quàm tota summa amittitur.* Sic *ubi excellens eruditio acquiri nequit, satis est, aliquam occupare, quàm prorsùs rudem & ἀναλφάβητον manere.* Sic *satius semiprobum, quàm prorsùs improbum, semifortem, quàm audacem aut pusillanimem, semitemperatum, quàm intemperantem esse. Sic* Plautus Curcul. a.2.s.3. *Certum, quàm aliquid mavolo.* Τὸ *aliquid enim Veteres inter incerta habebant, quiddam pro certo. Hinc* Terentius *aliquid nihil esse dixit, ut ex* Acidalio Taubmann. in h. locum *notat.* XVI. Quis sensus, satius laborare, quàm penuriam pati? Improprius. *Nec enim resolvas, Laborare bonum, & penuriam pati bonum est, sed illud magis bonum, quàm hoc est. Hoc enim planè non bonum, sed miserum & infelix est. Quare sic resolvendum:* Satius laborare, præ penuriam pati est, *hoc est, bonum laborare, sed penuriã pati non bonum est, Sic Germani,* besser blasen in Händen/ *à labore*

bore nempè, denn kratzen an Wänden/ *præ fame scilicet. Sed* fur aliquis *alio sensu id protulit, &* besser Blasen in Händen/ denn an den Füssen/ *dixit, & per* Blasen in Händen *vasa cuprea in postico fornacis apud Germanos ad aquas calefaciendas sita intellexit, quæ furaretur, quàm* Blasen an Füssen/ *quæ tabellionatam exercendo acquirere cogeretur.*

29. XVII. Quid illud proverbij, Corvi luscinijs honoratiores sunt? *Cum doctis indocti, probis improbi, virtuosis vitiosi, blaterones eloquentibus, rapaces ac furaces cordatis & integris viris præferuntur, ac cum plus improbitati ac audaciæ, quàm virtuti & sapientiæ tribuitur. Germanus dicit,* je grösser Schalck/ je besser Glück. V. t. 32. XVIII. An proverbiale quid contineat illud Horatij, Mactatâ veniet lenior hostiâ, L. 1. od. 19? *Sic* Erasmus, Manutius, alijq; *censent, qui adagijs suis illud intulerunt. Sed* Muretus *contrà æstimat, multaq;* Erasmum *ut proverbia adducere ait, quæ nunquam talia fuerint, nec ab antiquis unquam pro illis adducta. Inter quæ & hoc recenset, in quo nihil proverbij ait, sed futurum tantùm adduci, quid post factum sacrificium eventurum sit, nempè Glyceram multò leniorem & mansuetiorem, non protervam, venturam.* Sic, fluvij *cursus non detorquendus,* Pauca *malè parta multa benè comparata perdunt,* Conscientia *crimen prodit,* Patere *legē, quam ipse tulisti,* Tonderi *pecus, non radi oportet,* Tempori *servire decet,* Amor *fit irâ iracundior,* Voluptas *esca malorum,* Omnia *omnibus annuit,* Manuarium *æs,* bilis *in naribus,* Absens *hæres non erit,* Oleo *fraudare lucernam,* Herculis *clypeus,* Noxa *caput sequitur,* Ab aulâ *recessit, & similia, nihil proverbij continere dicit.* Quòd *si talia pro proverbijs recipienda, non chiliadas solùm, sed myriadas proverbiorum colligere & acervare possimus,* Quædam *sententiæ sunt, non proverbia, ut voluptas*

esca malorum, *noxa caput sequitur*; Quædam *nudi dicendi aut loquendi modi*, *ut*, *patere legem*, *quam ipse tulisti*: Alia *alterius modi*, *quàm verè proverbialis sunt*, L.12.V.L.C.17. *Nec nostrum est*, in Latinis *ex non adagijs adagia facere*: *Sed à Vetustis Latinis*, *quorum ea lingva vernacula fuit*, *quæ nobis exotica est*, *id sumendum*. In Germanicis *proverbia facere possumus*, *cum lingvam pro vernaculâ habeamus*, *& pro placito eam ornare*, *augere*, *& excolere queamus*. *Sed* Latinitatis *cultum à Latinis desumere cogimur*, *ut prima principia Noologica Organica docere solent*. V. Intelligen. c.6. t.5. *lectionib. olim traditam*.

30. XIX. An Comparativa Enuntiatio vocari possit; Quòd ex V.T. evidenter quidem Judæi convinci possint, tempus adventus Messiæ jam præterijsse, sed Messiam DEUM esse, evidenter convinci non possint? *Ita* Hulsemann. dial. c. Calixt. t.34. s.1. *vocat*. *Sed* Logico sesu Comparatio hic nulla est, *nec propria*, *nec impropria*, *nec prædicatum comparatè ad subjectum dicitur*, *nec sensus aut vox comparativa ulla hic reperitur*, *sed* propositio discretiva seu discretivè composita *est*, *quæ determinatè unum de aliquo per discretionis vinculum aut æquipollens affirmat*, *alterum negat*, *&* hunc sensum *habet*: *Judæi ex V.T. tempus adventus Messiæ præterijsse quidem convinci possunt*, *sed Messiam DEUM esse convinci non possunt*. *Et æquipollet huic*: *Quanquam Judæi de tempore adventus Messiæ ex V.T. convinci possint*: *De deitate tamen Messiæ ex eo convinci non possunt*. *Quam prop. discretivam esse*, *& particulas discretionis habere omnes Logici attestabuntur*. V.d 8.Log.t.26. *Quamcunq; autem determinationem statim comparationem vocare*, *nec Logicus vocum usus*, *nec distinguendi doctrina*, *cujus norma ac Magistra Logica esse debet*, *non confundendi*, *nec primi principij Noologici*, *Intellectus melius* *distin-*

distinctis juvatur, quàm confusis, V. Intelligent. olim traditæ c. 6. *ratio admittit.*

31. XX. Quid impensior apud Plautum notet, cujus cibo ille factus est impensior. Captiv. a. 4. sc. 2. Et in Bacch. a. 3. s. 2. Pol quidem meo animo ingrato homine nihil impensius est? Variè *explicatur, & τὸ impensius varia significata habet. Sic* Tacitus l. 14. Ann. c. 7. *Tu, (Seneca) si quà in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat, revocas, inornatumq́ robur subsidio impensiùs regis, hoc est, diligentiùs, accuratiùs, solicitiùs. Sic impensè improbus apud* Plautum Epid. a. 4. s. 1. *Pro valdè improbo, quasi in quem multum improbitatis impensum sit.* Interdùm impensus idem ac farctus, stipatus, *distentus, est, & impensa farcturam notat, stipationem, quòd nondum pensa, sed tantùm stipata sit. Sic pecuniam stipatam, nondum pensam, veteres impensam dixisse* Festus *notat. Sic* Arnobius L. 7. *Quid cum pultibus DEO sit, quid cum libis, diversis cum fratribus, (concisis & comminutis in sacrificijs carnibus, sic enim vocem sumi* Taubmannus ad Milit. a. 1. sc. 1. *notat,) confectionis jure multiplici, atq́ impensarum varietate conditis, hoc est, farcturarum. Et hunc sensum in* priore Plauti loco *habere potest, ut impensior sit farctior, magis pastus, satiatus, distentus, impletus. Sic* Palladius *impensâ pumiceâ farciri muros, hoc est, stipari acervato ex pumice tuso.* Apitius, *indes impensam præscriptam, hoc est, farcturam.* Interdùm *idem ac parum pensus, incogitatus, imprudens, inconsideratus. Nam pensa, hoc est, ponderibus examinata, justa & æqua sunt. Quæ impensa, non pensa, iniqua & injusta.* Vel impensum *minoris pretij, vilius, & abjectius est. Nam pensa bona & cara, impensa levia & vilia sunt. Sic in* Sticho a. 1. s. 2. *Vtra sit conditio pensior, virginem, an viduam habere, hoc est, potior, melior, majoris pretij aut commodi:*

modi: Vel remissius, *negligentius, inaccuratius.* Pensa, *quæ curæ, & accuratè cogitata esse intelligantur. Ergò* impensa *neglecta, dissoluta, inaccurata. Quomodo sæpè in hunc sensum* Salustius, Tacitus, *aliiq; Latini utuntur. Et hic* sensus posterioris loci *esse potest, ingrato homine nihil impensius, hoc est, incogitantius, imprudentius, vilius, abjectius.* Nisi impensum intensivè *hic dictum velis, ut incanus, incurvus, in quod multum & magno cum damno impensum sit, ut* Pistoris *vult, quomodo* impendiosus, *qui multum impendit. Et cum talia, in quæ multa & cum damno impensa, omnes oderunt, maximè odiosum hic ingratum [io] impensum notet, ut in quem nihil inutilius impendatur. Sic quod in ingratum impenditur, damnosum & inutile est, adeoq; nihil eo est impensius, hoc est, damnosius & sumptuosius, ut ingratum homini benefico magni constare notetur,* Nichts / das einem mehr koste / als ein undanckbahrer. *Sic* impendiò *adverbialiter pro valdè sumitur. Sic, cur homines impendiò magis appetant pulcritudinem, quàm sanitatem?* Lauremberg. Pasicom. c. 34. n. 1.

32. XXI. Arguendi potestas à Comparatis an & qualis sit? *Inter* topicos locos Logicos *& aliquis* à comparatis *recensetur, è quo ingens seges probabilium argumentationum elicitur.* Ut, quò quid *diuturnius & constantius, eò nobilius, quò fluxibilius & inconstantius, eò ignobilius. Sed hic Canon instantias patitur, nec à diuturnitate statim ad nobilitatem majorem progredi fas est, nisi & cætera paria sint. Ita* Bellarminus *pro Nobilitate Monarchiæ præ aliis Reipub. statibus rationem à diuturnitate ejus sumit,* l. 1. d. Pontif. c. 2. *Sed quam non universim stringere fusè ostendit* Chamier T. 2. Panstrat. L. 9. c. 8. Quod *per se optabile, optabilius est eo, quod propter aliud optabile est.* Quò *quid difficilius, eò nobilius.* Bonum *quò communius, eò præ-*

præstantius. Quod *in nobiliore est bonum, nobilius est.* Quò *quid simplicius, eò præstantius, nisi pars alterius, incompletum quid, aut accidens sit.* Agens *in bonis est nobilius patiente.* Unde *majora bona sequuntur, nobilius est eo, unde minora, & quæ similia sunt, quæ fusè* Aristoteles 3. Top. c. 1. 2. 3. Scheiblerus c. 22. Topic. Bedæ axiomat. lit. B. Burgersdicius L. 2. Log. c. 19. J. Martini l. 6. Log. c. 3. Stahlius tit. 19. axiom. Philos. Fonseca l. 7. Dial. c. 30. alijq; *deducunt.* *Qui* Canones *omnes intelligendi sunt* cœteris paribus, *& nisi aliundè aliquid obstet, unde præstantia rei minuatur: Et* Topici *sunt, quibus qualemcunq; probabilitatem habere sufficit, non apodicticam necessitatem requirunt.* *Potissima nobilitas ex essentiâ, attributis, & operationibus in re colligitur.*

33. *Solent & alia axiomata pro comparatis ad arguendum ab authoribus proferri. Vt,* 1. Uti se habet positivus ad positivum, sic comparativus ad comparativum, & superlativus ad superlativum. *Vel,* ut se habet simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis, & maximè ad maximè. *Vt, bonum appetibile. E. majus bonum magis app. Et maximè bonum maximè appetibile est.* Notandum hic, *ut prædicata* per se *de subjectis dicantur, non per accidens. In his enim à positivo ad Comparat. & superlativum non V. C. Vt, dulce est album, ut lac, E. magis dulce magis album, & maximè dulce maximè album. Primum enim accidentaliter connexum est. Sic singulare movet sensum. E. maximè singulare maximè movebit sensum. Sed DEVS est maximè singularis. E. maximè movebit sens. Quod non. Antecedens accidentale est.* Singulare *non movet sensum, quà singulare, sed quà sensibile, v. g. coloratum, odorabile, audibile est, &c. Quòd si non esset, sensum non moveret. Sic Gabriel, Michael, Raphael, angeli maximè singulares, non tamen sensum*

movent,

movent, quia Spiritus & insensibiles. Exercitatis Corporis est bona. E. maxima maximè bona, cum nociva esse possit. Exercitatio enim bona est non per se, sed quà moderata. Vini usus bonus. E. maximus maximè bonus. N. V. C. Vini enim usus bonus non absolutè, sed quà moderatus. 2. Ubi datur majus & minus, ibi & summum ac maximum in eodem genere datur. *Vt, major & minor Virtus datur. E. & maxima datur. Magis & minus bonum, calidum. E. & summè bonum ac calidum. Intelligendus autem Canon* de positivis & realibus, *non privativis & negativis. Vt, datur magis & minus malum. E. & datur summum malum. Hoc enim defectus & privatio est.* Positiva *enim realem & positivam causam influentem habent, eoq; in illis reducitur ad aliquid summè tale.* Privativa *autem causam deficientem habent, in quibus non ad summè privativum reductio procedit, quod in sua influentiâ omnia alia privativa causet, sed in causam positivam reducuntur, quà in agendo ea deficit aut excedit.* V. de Caus. p. accid. t. 31. seq.

34. 3. A comparativo proprio & propriè sumpto ad positivum affirmativè valet conseq. *Vt, aër est levior aquâ. E. Est levis. Socrates doctior Platone. E. doctus.* V. t. 4. *Sed in* improprio *non valet. Vt, furtum est levius peccatum homicidio. E. est leve. Terra est levior auro. E. est levis. Hic enim est sensus, est minus grave peccatum, quàm homicidium, terra est minus gravis, ac aurum.* V. t. 8. 9. 4. A positivo negato ad comparativum negandum valet consequentia in comparatione propriâ. *Vt planè non doctus est, E. nec doctior altero est. Non est bonus. E. nec magis bonus altero. Sed in impropriâ non valet. Vt, aqua non est levis. E. nec levior terrâ. Furtum non est bonum. E. nec melius adulterio. Non est leve peccatum. E. nec levius homicidio. Levius enim & melius hic pro minùs*

gravi sumitur, quod in furto ad homicidiū ac adulterium omninò est, t. 8. 9. 5. Formæ quantò dant esse nobilius, tantò sunt nobiliores. *Sic anima rationalis nobilius esse dat, intelligens, quàm anima bruti, plantæ, aut lapidis forma. E. & nobilior his formis est.* 6. Virtus quò unitior, eò fortior seipsâ dispersâ. *Sic hyemali tempore calor ventriculi externo frigore constrictus non dissipatur, eoq́; robustior est, fortiusq́; concoquit, æstivo externo calore obsessus foràs evocatur, eoq́; langvidior fit, minusq́; digerit, quicquid aliqui hic negent aut disceptent*, ut Arriaga, Vallesius, Sperlingius, aliiq́; , V. Dec. 2. Misc. d. 8. t. 7. *Sic minima portio marmoris aquæ injecta fundum petit, quia vis gravitandi ob partium densitatem compacta ac unita in eo est, eoq́; efficaciùs se exerit. Maximus pumex aquis innatat, quia ob partium varietatem, laxitatem, & porositatem vis gravitans dispergitur, & ob partes leviores ac aërias minor est. Sic parvus lapis ut unitus mergitur aquis, magnum lignum ut dispersum supernatat.* Intelligendus autē Canon est de virtute unitâ in certâ ac determinatâ quantitate, *nec enim molossus minor robustior erit, quia vim compactiorem in minore quanto habet: Et certâ etiam qualitate, ne ultra modum excedat. Sic calor animalis nimius extinguit animal, non ad agendum fortius facit*: Modo item ac tempore conveniente. *Aliàs enim calor febrilis ad naturalem accedens non fortiorē eum, sed debiliorem facit & remittit, quia noxius, præternaturalis, ac violentus subjecto est. Et ut* actio respiciatur, non sola qualitas. *Sic parvus lapis non est ponderosior in gravitate magnâ trabe, sed magis in aquâ gravitat ac descendit, quàm trabs.*

35. 7. In majore quanto ejusdem speciei, virtutis, ac valoris, major est virtus & efficacia materialis, nisi impe-

tur, & externo accidente intercurrente infringatur, sed cœtera omnia paria sint & maneant. *Sic magna pars rhebarbari majorem purgandi vim habet, quàm parva, & major pars veneni vegeti majorem ac efficaciorē vim occidendi habet, quàm minor, ingensq́; lapis molaris majorem conquassandi ac conterendi vim habet, quàm parvus. Sic homo magnus & robustus majores vires habet exili & imbecilli. Major candela magis illuminat, quàm parva, magnus ignis magis calefacit, quàm parvus.* Dicitur 1. Quantum ejusdem speciei & virtutis. *Nàm si diversa species & virtutes sint, in minore quanto major virtus esse posßit. Sic in unione, qui minor pumice, longè major medicandi vis, quàm maximo pumice. Et in unione orientali etiam minore longè major vis cordialis est, quàm majore occidentali, ut Bohemico, Bavarico, Hungarico, Britannico, ut experientia Medica, Spagyrica, & Pharmaceutica docet. Sic exigua portio veneni hominem interimit, magna carnis aut vini non, nam diversæ species hic.* 2. Ejusdem virtutis ac valoris. *Quanto enim quale junctum esse oportet, ut vim ac efficaciam exserat.* Quanti enim ut sic, & quantitatis abstractè sumptæ nulla realis ac transmutativa est efficacia. *Sed objectiva, emanans, & intentionalis tantùm, ut in* Metaphys. *docetur, sed à qualitatibus & potentijs effectiva vis oritur, quam in quanto majore simul majorem esse oportet, si major agendi vis in illis esse debeat.* 3 Major virtus materialis dicitur, quæ materialis alicuius rationis est, *ac materia formâ informata radicatur, ut potentiæ materiales lapidum, mineralium, metallorum, plantarum, animalium, hominum sunt, ut vis purgandi, constipandi, sudores ciendi, discutiendi, aperiendi, attenuandi, incrassandi, venena pellendi, solvendi, alterandi, currendi, clamandi, verberandi.*

Nam

Nam de spirituali vi, *quæ formæ spirituali competit, eamq; comitatur, non semper procedit. Vt, ille major homo. E. majore, acriore, subtiliore intelligendi vi, ingenio, acumine, solertiâ, præditus, quæ longè major in exiguo homine sæpè est, cum crassi plerumq; bardi ac stupidi sint, & longi homines rarò sint sapientes, ut* Bartholus ad l. 1. ff. d. Jurisd. *annotavit.*

36. Ac Seneca Ep. 8. *Imbecilli sunt animo, quorum humeros lacertosq; miramur. Nimioq; membrorum robore mentis vigor hebescit, ne supra mortalem felicitatem sit, eundem & valentissimum ac sapientissimum esse,* ut Valerius M. L. 9. C. 12. *loquitur. Ingenio plerumq;* caret, *qui robore præstat.* Palingen. in librâ. *Comes exiguis est gratia rebus.* Cæsar *nil se obesos ac rubicundos, Antonium & Dolabellam, curare dixit, obesi enim plerumq; non ingeniosi: sed pallidos & macilentos, Cassium & Brutum,* Plutarch. in apoph. Lacon. *Inde* Juvenalis *Nattam* sat. 3. *Et* Persius *Calvum stupidum ac bardum arguit,* sat. 1. Cui pinguis aqualiculus propenso sesquipede extat. Sic *grus avis corpore magna, sed vecors & timida est.* Sic cervus *magnus, sed timidus,* Canis *parvus, sed audax,* Leo *non adeò magnus, sed generosus & fortis,* Aiax *corpore procerus, animo stolidus & furiosus fuit. Hinc non quanti, sed quales, dicitur, & Germani,* in kleiner Haut stecken grosse Leut/ *dicunt. Ac viri ingeniosi, prudentes, fortes, plerumq; parvæ & mediocris staturæ, ut* Agesilaus, Ulysses, Alexander M. Cæsar, Aristoteles, Horatius, Virgilius, Martialis. Gigantes *magni, proceri, crassi, sed stolidi, feroces, furiosi, ut sacræ & profanæ historiæ testantur.* Sic Catullus *de Quintiâ,* Totum illud, formosa, nego, nam nulla venustas, nulla in tàm magno corpore mica salis.

37. 4. Nisi impediatur, & accedente aliquo infringatur. *Tùm enim fieri potest*, ut virtus adsit, sed ob obstaculum positum se exserere non possit. *Vnde Canoni adjici solet*, Cœteris paribus. *Sic potest homo magnus robur non exserere erga parvum, cum vires morbo prostratæ sunt, & unum medicamentum ejusdem speciei inertius in agendo altero esse potest, quando unum est arefactum, & spiritus exsiccatos ac consumptos habet, alterum viride & spiritibus vegetis præditum.* Materiales enim virtutes sæpè in corporibus exhaustis spiritibus retunduntur, exhalant, amittuntur. *Nec spiritus in omnibus æquè fixi, tenaces, & durabiles sunt. Sic unum idemq́ specie aurum non parem in medicando vim exceret, quia in uno temperamenti aut alterius rei diversitas impedimentum importat. Sic minor virtus interdum potest, quod major non potest in eodem genere, quia occulta qualitas subest. Sic digitus unus rupem aliquam ad Harpasam Asiæ urbem movere potest, quem integrâ manu aut corpore nemo commoveat.* Porta l. 1. M.N.C. 18. Hildebrand. l. 4. Mag. Nat. C. 4. *Si vera sunt, quæ ab authorib. narrantur. Ita de saxo* Main Amber *ad urbem Pensans in Angliâ* Cambdenus & Lansius Or. pr. Britan. *narrant, quod etsi vastum, digito tamen moveri possit, sed à loco ne à magnâ multitudine dimoveri queat.*

38. *XXII.* Cur magis & minus album, nigrum, calidum, dicatur, sed non magis & minus albedo, nigredo, calor: sed major & minor, cum tamen magis & minus recipere proprium qualitatum in Metaph. & Log. dicatur, & per eas substantijs id competat? *Nempè propter modum significandi* Grammaticum *id est.* Adverbium *enim est quasi adjectivum Verbi, unde Verbum ac participiũ determinat ac perficit,*

ficit, cum participium ad Verbum appropinquet, & interdùm nomina quædam, quæ per modum inhærentiæ significant. Formæ autem in Concreto *signatæ per modum inhærentiæ significantur, ut album, nigrum, calidum. Sed* in abstracto per modum per se stantis & absoluti *notantur, & tanquam substantivè sumuntur. Substantiva autem determinantur per* adjectiva. *Vt major aut minor honor, eruditio, virtus. Quia autem magis & minus* adverbia *sunt, Verbum, participium, & nomen per modum inhærentis ac connotantis sumptum determinant, cum talium velut adjectiva sint. Vt Petrus magis vel minùs currit, currens, doctus, albus, est. Non autem magis vel minùs cursor, albedo, eruditio, est.* Adjectiva *autem determinant substantiva, ut major vel minor albedo, calor, eruditio, illi inest vel non inest, Petrus melior vel pejor Cursor, Cantor, Præceptor, est, &c. Quia diversa significandi ratio Grammatica* in substantivis & adjectivis est, *inde diversis vocibus* comparationes *eorum enuntiare cogimur, si congruè sensus proferre velimus. Qualitatibus autem* in Log. & Metaph. *magis & minus competere dicitur, sed in Concreto de subjecto enuntiatis, ut magis & minus album, non absolutè pro se stantibus & significatis, ut magis & minus albedo.*

39. XXIII. Quis sensus proverbij, fumus pulchriorem in domo impetit, Rauch gehet dem schönsten nach/der Rauch gehet von der schwartzen / und ziehet zu der weissen? *An opinione tantùm hominum id constat, non veritate? Permulta autem creduntur; non quòd verè ita se habeant, sed quòd communi opinione se ita habere censeantur. Sic solem in Paschate subsilire, lienem Cursorib. eximi posse, magos circa Natalitia in lupos transmutari; posteaq; in homines reverti, vulgus credit. Fumum*

autem pulcriora appetere antiqua opinio est. *Apud Hetruscas mulieres jam olim proverbium fuit, fumum pulcriorem totius domus prosequi, ut* Victorinus L. 3. V. L. C. 21. *tradit. Veteres* Græci *idem crediderunt.* Aristophontis *Comici Parasitus* ap. Athenæum L. 6. *de seipso ait,* Τοῖς καλοῖς πειρῶν καπνός, *in formosis tentandis fumum, id est, egregium exploratorem esse.* An *quia pulchriores candidiores & teneriores cute sunt deformibus, eoq; fumus atrorem inducens notabiliùs in albis observatur, quàm fuscis, ad fumi colorem jam quadam parte accedentibus?* An *mythologicè & tropicè intelligendum proverbium, non propriè? Et sensus est, fumum, hoc est, calumniam, livorem, invidiam, faciliùs petere pulcra, id est, virtuosa, excelsa, sublimia, quàm deformia, hoc est, abjecta, vitiosa, vilia?*

XXIV. Cur homines impendiò magis pulcritudinem, quàm sanitatem, appetant, cum tamen sanitas melior, utilior, præstantior sit? 1. Quia *pulcritudo promptissimè visum incurrit, & oculis intuentium velut spectaculum se ingerit. Sanitas autem interiùs in corpore magis abscondita latet. Vulgus autem magis oblectant, quæ sensibus externis exposita, quàm quæ abstrusiora. Ignoti enim nulla cupido esse solet.* 2. Quia *pulcritudo rarius ac insolentius bonum, quàm sanitas est. Rari enim pulcri, cum pleriq; sani sint. Quæ autem rariora, cariora & majoris æstimata. Sic adamas præ vitro, aurum præ ferro, vinum præ aquâ, margaritæ præ corallijs, &c.* 3. Quia pulcritudo *intime affectum intuentis allicit, elicit, & consequenter amorem, venerationem, & honorem conciliat, ut experientia testatur. Unde Aristoteles rogatus, cur pulcram rem appeteremus, cæci, non videntis eam quæstionem esse, respondit. Ex adverso deformes, etsi regum filij sint, omnes aversantur, oderunt, parvi-*

paruipendunt. Velut natura ipsa eos odisse videatur. Quod pulcrum, carum, non sunt deformia cara: Sed sanitatem nemo miratur, colit, veneratur & honorat. Ita Bubulcum rebustissimum & vegetum nemo miratur aut colit. Sed elegantes, etiam pauperrimos, admiramur & amamus. Itaq́ plus appetitur pulcritudo, quàm sanitas. Sapiens tamen vulgo plerumq́ contrarius, V. Iren. defens. p.1.t.7. *contrà sentit, & sanitatem formæ præfert. Sanitatis etiam pulcritudo pedissequa est. Heram autem ancillæ præcolere æquum est. Et istius* Juvenal. sa. 10. *meminit*, Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

40. *Coronidis loco* proverbia modosq́; loquendi comparativos *Germanis usitatos doctrinæ huic subtexamus, quæ ad* t. 29. *illustrandam facere possint. Eorum compendiosa farrago sequens esse possit.* Vt, Je lenger / je lieber / Je krümmer / je dummer / Je frommer Vater / je ärger Kind. Je besser Schalck / je besser Glück. Je länger / je ärger / Je älter / je kärger. Je weicher Artzt / je fauler Wund / Je schlechter Jäger / je schlimmer Hund. Je grösser Glück / je böser Tück. Eine gute Flucht ist besser / denn ein schädlich Warten. Lieber spielen mit dem umbkehren / denn mit dem stechen. Besser eine Hand voll Gunst / denn ein Sack voll Kunst. Verstehet weniger hievon / denn Bileams Esel vom Psalter und Harffen. Werden ihre Haut besser wandeln / denn ein Mohr / und ihre Flecken besser tilgen / denn ein Parder. Ehe einen Raben weiß baden / denn diß außrichten. Das hat nicht mehr Wirckung / denn die Sonn im Jenner. Das grosse Potentaten in Händen haben / gönnen es ihnen selbst viel lieber / denn einem andern. Auffsehen ist im Spiel das beste. Besser ist furchtsame Fürsichtigkeit / denn thumkühne Vermessenheit. Der schärfest Eßig vom besten Wein / der grössest Feind vō besten Freund / wenn

wenn sie verderbt und böse sind. Es darf kein Raunen / je edler Pferd / je erger Launen. Lieber ich bleib arm / und bleib mein Mann / als reich an Hundes-Ketten stehn. Besser ist Fried mit Beschwerligkeit / denn Krieg mit eitel Gerechtigkeit. Von reichen und frommen Leuten ist besser das mittel / denn zuviel geredt.

AVCTARIORVM LOCO.

1. *Qui fit*, quòd lis sit cum formâ magna pudicitiæ? Et cur filius corporis egregij miseros trepidosq; parentes semper habet, *rara adeò est concordia formæ, atq; pudicitiæ.* Juven. sa. 10. An *omne formosum est appetibile, & sic occasioni amoris, & consequenter libidinis aptius ac subjectius, quàm deforme?* An *quòd formosi liberi parentibus cariores sint, eoq; indulgentiùs educentur, & sic faciliùs in vitia ruant ac libidinib. subjaceant?* An *caro formosa tenera, & sangvine spirituq; subtili copiosè referta, temperamenti libidinosi ac titillationis appetentis sedes nutrixq; est, & delicatâ nutritione ad pruritus voluptatesq; carnis fit incitatior, ac consequenter ad libidines pronior? Temperamenti enim constitutionem sæpè mores & inclinationes seqvuntur, ut experientiâ constat.*

2. Cur fastus inest pulcris, sequiturq; superbia formam? An *quòd multis appeti formam, & magnifieri videant formosi, eoq; & sibi aliquid tribuant?* An *quòd formositatem nimis æstimant & admirantur, tanquam constans bonum & eximium, ignorantes, quàm vile & fragile sit?* An *per accidens tantùm fastus formosis insit, & vitio subjectorum, quib. forma inest, cum nec omnibus, nec semper insit, nec naturali necessitate præcisè ista connexa sint, ut nunquam abesse possint.*

